



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio III. De Forma Substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

bet, ut non soli sublunari, quæ modò datur, conveniat, prout eam tradit Aristoteles supra citatus; sed sic, ut omni materiæ existenti & possibili conveniat; & formam sibi oppositam à suo conceptu excludat, quod fit per illam definitionem, in qua dicimus totam materiæ essentiam consistere, ergo, &c.

CCXXXIV. Confirmatur, creet Deus alium mundum, & omnino alias corporum species, ut potest, in illo materia erit, ut probabiliter colligitur, specie distincta, à materia huius mundi, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

CCXXXV. **D**ico 3^o, materiam cœlestem esse ejusdem speciei cum sublunari, non demonstratur quidem, sed probabiliter suadetur.

CCXXXVI. Probatur prima Pars; quia id experientia non docet: nam licet probabiliter doceant multi firmamentum, id est, Cœlum stellarum & orbes omnes inferiores, esse factos ex aquis, quæ erant inter terram & Cœlum Empyreum; id tamen pendet ab hominum conjecturali interpretatione; unde alii per firmamentum etiam probabiliter intelligunt infimam aëris regionem, quæ aquas pluviales ab aliis dividit, ac proinde id evidens non est, ergo, &c.

CCXXXVII. Probatur secunda Pars, 1^o, quia materia sublunaris est capax formæ hominis perfectioris; ergo & Cœlestis imperfectioris; alioqui fatendum esset sublunarem esse perfectiorem Cœlesti, quod non satis suadetur.

CCXXXVIII. Probatur secunda Pars, 2^o, materia sublunaris est capax formæ materialis & spiritualis; ergo & sublunaris corruptibilis ac cœlestis incorruptibilis, ergo, &c.

CCXXXIX. Objicies 1^o, ex P. Compt. Disp. 2^a. de Cœlo: cum potentia in materia Cœli ad formas corruptibiles numquam reducenda sit ad actum, imò naturaliter eò reduci non possit, videtur omnino superflua, ergo, &c.

CCXL. Confirmatur ex eodem; si videremus potentiam activam, quæ numquam posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, ergo, &c.

CCXLI. Respondeo 1^o, retorquendo Argumentum in appetitum materiæ ad formas corruptas, qui non ideo superfluus est, quia numquam reducendus est ad actum, ut supra Dubio 6^o vidimus.

CCXLII. Respondeo 2^o, potentiam illam non reducendam ad actum defectu alicujus se tenentis ex parte generationis ut mutationis; non verò de-

fectu alicujus se tenentis ex parte formæ; quia eadem omnino manente potentia, & solâ mutatione formæ incorruptibilis factâ in corruptibilem, reduceretur ad actum: unde dici non potest superflua, sed impedita tantum dici debet; impedita autem potentia supponit potentiam; superflua verò negationem potentia arguit, quamdiu per experientiam non probatur esse potentia. Vnde

Ad Confirmationem

CCXLIII. Respondet P. Poncius Disp. 3. Phys. Concl. 2^a. non esse frustraneam potentiam in aliqua specie, licet in aliquo individuo non posset reduci ad actum, modò in aliis individuis possit reduci; sed non satisfacit; quia responderet P. Comptonus, in aliis individuis non fore frustraneam, in hoc autem fore, & ideo hoc debere esse diversæ speciei ab illis. Quare aliter

CCXLIV. Respondeo distinguendo assumptum; si videremus potentiam activam, quæ numquam, defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius, posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, concedo assumptum: defectu alicujus extrinseci, nego assumptum; quis enim dicat 1^o, (jam per experientiam notificato, quòd illuminatio objecti non se teneat ex parte potentia visiva, sed ex parte objecti proximè visibilis) illum hominem, in cujus oculis defectus non notaretur, non habere potentiam visivam, quia semper fuisset, & esset constitutus in loco tenebroso, in quo nihil videre potuisset? Quis dicat 2^o, potentiam intelligendi independentem à phantasmate esse in anima nostra superflua, quia, quamdiu anima est in corpore, non potest independentem ab illo intelligere, prout materia illa, quamdiu est sub forma cœlesti, non potest sublunarem recipere? certè nullus; adde tamen nos pro hac Resolutione plus habere, videlicet paritatem illam, & Resolutionis duas allatas probationes, quæ saltem probabiliter suadent, illam esse veram.

CCXLV. Objicies 2^o, si materia cœlestis esset ejusdem speciei cum sublunari, posset cœlum converti in corpora sublunaria, ut aërem, aquam, &c. & illa in se convertere; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

CCXLVI. Respondeo experientiam nostram eò usque non pertingere, & hoc certum esse, non omnia, etiam sublunaria vicina, posse in se mutuo converti aut convertere, ut patet ex Adamante, qui in alia sublunaria non convertitur, & an alia in se convertat, non satis probatur; unde non video quo fundamento de cœlestibus id asseratur.

DISPUTATIO TERTIA

De forma Substantiali.

1. **N**Ota, formam ab eo formam dici, quòd materiæ deformitatem ac ruditatem formet ac poliat; sic nempe ut non sit subiectum sustentationis positivè primum, sed in eo sustentetur, vel saltem illi uniatur, tanquam perfectius quidpiam denominans, imperfectiori cuiuspiam denominato: cum quo facit unum compositum substantiale, per modum actus & potentia, si substantialis; accidentale, si accidentalis: brevius tamen forma definiri potest, *Actus pri-*

mus materiae. Actus condistinctus à materia. Pars illa, quæ simul cum materia, unum per se, & non secundum accidens constituit: illa enim definitiones, jam præsupposita aliunde cognitione materiæ, sunt bonæ.

Nomina, quibus variè à variis ex Antiquioribus Philosophis forma nuncupatur, ut *pulchrum*, eò quòd pulchram faciat materiam alioqui per se turpem: *Quidditatis rationem*, eò quòd essentiam ultimò constituat, &c. ut inutilia omitto. Quare, sit

D V B I V M I.

An detur forma substantialis; quid illa sit; & an tota essentia Corporis completi.

R E S O L U T I O I.

I. Ico 1^o, sistendo in Principiis fidei certum est dari formam substantialem.

III. Probatur 1^o, ex Concilio Viennensi sub Clemente quinto Clementinâ unicâ, *Qui quis deinceps asserere, defendere, aut tenere pertinaciter præsumpsit, quod anima rationalis non sit forma corporis per se & essentialiter, tamquam hereticus sit censendus.*

IV. Probatur 2^o, ex Concilio Lateranensi sub Leone decimo sessione octavâ, ubi definitur, *animam rationalem naturâ suâ esse formam corporis, & præcipitur Philosophiæ Magistris, ut solvant argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt; ergo datur forma substantialis: probatur consequentia; quia, ut rectè notant PP. N. Compl. hic Disp. 4. q. 1. ex positione animæ rationalis tamquam formæ separabilis à subjecto, rectè concluditur esse in entibus naturalibus aliquod subjectum substantiale, quod sit incompletum in genere substantiæ, & aptum ut informetur formâ substantiali, quæ sit etiam ens substantiale incompletum, ergo, &c.*

R E S O L U T I O II.

V. Ico 2^o, sistendo in nudis luminis naturæ Principiis non videtur efficaciter probari, dari formam substantialem: est contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, Poncium, Comptonum & alios ferè omnes sive Thomistas, sive Scotistas: ita è Societate Egidius Regius de Sacramentis tom. 1^o. q. 76. art. 3. n. 14. Zavarellus 1^o, de gener. & inter. cap. 6^o. apud P. Telles hic Disp. 23. Sect. 1^a. & nuperimè Ren-descartes 4. p. Princip. Philos. item & omnes antiqui Philosophi, si P. Comptono hic Disp. 1. credatur, ubi sic habet: *Forma antiquis Philosophis ferè fuit ignota, quos proinde non semel hoc nomine reprehendit Aristoteles, quod scilicet materia considerationi veluti immersi, præstantissimæ rerum naturalium partis investigationem penitus neglexerint.*

VI. Probatur, quia, in illis Principiis stando, non videtur efficaciter probari, dari materiam primam; ergo nec videtur efficaciter probari, dari formam substantialem: Probatur consequentia, quia materia & forma sunt correlativa; nec aliud præter materiâ est assignabile quod forma substantialiter cõpleret, & à quo substantialiter cõpleretur; quod esse deberet; quandoquidem foret substantialiter incompleta, ergo, &c. Antecedens patet ex Disp. 2^a. Dub. 1^o.

VII. Confirmatur 1^o, supposito ex loco citato, quodd non detur materia prima, non datur nisi ens in actu completum; sed quidquid advenit enti in actu completo est accedens; ergo quidquid assignabitur pro forma substantiali, erit accedens.

VIII. Confirmatur 2^o, si dixerò 1^o, non dari substantiam aliam, præter simplicem completam: 2^o omnia, quæ dicuntur hodie composita substantialiter, esse tantum composita accidentaliter, proindeque nullam dari compositionem substantialem; sed accidentalem dumtaxat; 3^o accidentia, quæ communiter dicuntur compositi substantialis proprietates, ad illud se habere instar formæ substantialis (si daretur) ad materiam, nec aliter, quàm formam

à materia, ab illo exigi; præterquam quodd id videatur exigere rigorosa definitio substantiæ (quæ in rigore à substando cæteris, sive realiter, sive ratione solâ distinctis, dicitur) non facile conviaceretur dari formam substantialem, nec aliter discurrendum ulla experientia, aut pura ratio naturalis, efficaciter convincere videtur ut solutione Objectionum patebit, ergo, &c.

IX. Objicies 1^o, ex P. Oviedo de Anima Controv. 17. p. 1^a. Resol. ista omnino opponitur decreto Concilii Lateranensis supra citato; ergo temeraria est.

X. Respondeo in primis (præterquam quodd id pro sola anima rationali aliquid decernat, & nihil pro cæteris brutorum, & inanimatorum formis substantialibus) Resolutionem nostram supponere istud Concilium non esse, vel potius ab ejus, & fidei decretorum existentia præscindere; quia non in auctoritate, sed in solis luminis naturæ Principiis ficit: unde objici rationabilius non potest, quàm si non esset: deinde non asserimus secundum rectam rationem animam non esse formam substantialem, sed solum, sistendo in nudis luminis naturæ Principiis, non videri efficaciter probari, esse talem; sic tamen, ut, non esse talem non probemus, & multò minùs asseramus, defendamus, &c. ut patet; id autem solum prohibet Lateranense Concilium, uti & solum rationes id probantes solvere præcipit.

XI. Objicies 2^o, experientia docet animas defunctorum redire; energumenos loqui variis linguis, quas numquam audierunt; habentes pactum cum dæmone per aëra volare, &c. sed hi effectus non possunt aliis causis attribui, quàm spiritibus; ergo experientia & ratio docet dari spiritus incompletos; cur enim potius completi darentur, quàm incompleti? cum ad hos omnes effectus sufficiant incompleti, sive plures animæ spirituales simul junctæ, ut probant Theologi.

XII. Respondeo 1^o, illos effectus videri sufficienter salvari; admittendo substantias spirituales completas simplices; sicut admittimus substantias corporales completas simplices: ex quo non sequitur dari spirituales incompletas; quia sicut sistendo in nudis luminis naturæ Principiis nihil est, quod efficaciter probet, dari corporales incompletas; ita nihil efficaciter probat, dari spirituales incompletas.

XIII. Respondeo 2^o, neque, ad salvandos illos effectus, videri requiri substantias spirituales completas, neque incompletas; sed sufficere corpus simplex substantiale completum insensibile; habens quidem partes extra partes localiter (in quo distinguetur à spiritu) non tamen impenetrabilitatem cum aliis; item, forte ut est equus; volatile ut aquila; potens exercere omnes motus corporales, quos quilibet homo, tam intra, quàm extra se exercere potest, &c. tale enim corpus non implicat, & sistendo in nudis luminis naturæ Principiis, dici posset dictos effectus à tali corpore nunc derivari ac procedere.

XIV. Objicies 3^o, In homine intellectus & voluntas sunt potentiæ spirituales; ergo præsupponunt in homine Principium incompletum à quo exiguntur, esse spirituale: Probatur antecedens, quia in Deo & Angelis tales sunt.

XV. Respondeo 1^o, sistendo in hypothese Resolutionis nostræ, sive in sola ratione purè naturali negando antecedens; quia sistendo, &c. id nec experientia probat, nec ratio convincit.

Respon-

xvi. Respondeo 2º, negando antecedens pro prima parte; quia, nec id experientia probat, nec ratio convincit, si fistas in nudis luminis naturæ Principiis: numquid discurrendo, volendo, &c. fatigatur corpus, & extenuatur? quidni ergo illæ potentia essent corporales? cur, quæso, discursus perfectus hominis esset potius spiritualis, quam imperfectus canis, quo dicit, *Si sequar herum, dabit mihi bolum panis, quem offert: sed sequar, ergo habeo?* deinde, cur magis determinatio libera hominis ad accipiendam potius hanc, quam istam viam, esset spiritualis, quam similis necessaria determinatio canis? denique, cur cogitatio de Deo, spiritibus & æternitate, esset potius spiritualis, quam de creatura, corporibus, & tempore? non enim ipsa accipit spiritualitatem ab objecto, uti in Logica Disputatione de scientia monstratum est; & alioqui de corporeo, corporea esse deberet, quod omnino falsum est: quod verò bestia non habeant tales cogitationes, solum sequi videtur, in ratione & Principiis purè naturalibus sistendo, non habere accidentia, quæ sint Principia istarum cogitationum materialium nobilium; ac proinde accidentaliter ab homine distinguuntur, tamquam imperfectius à perfectiori accidentaliter: idem dic de potentiis inter se.

xvii. Adde secundam partem antecedentis similiter negari posse, ut patebit ex solutione 1ª, & 2ª, ad sequentem Instantiam.

xviii. Instabis ex P. Arriaga Disputatione 3ª. Physicæ sectione 1ª: vel illæ omnes potentia & operationes radicanter in uno Principio, à quo exiguntur, vel sunt inter se disparatæ? si primum, illud Principium est forma substantialis: secundum autem est falsissimum; quia in equo v.g. post mortem desinunt omnes operationes, motus, vita, &c. & in igne extincto calefactio, illuminatio, exsiccatio, &c. idque defectu unius Principii primi & substantialis, in quo erant radicatæ; nam si fuissent omnes disparatæ, cur, unâ pereunte, omnes eò ipsò perirent? ergo, &c.

xix. Respondeo 1º, hoc totum admitti posse; quia hæc Instantia non convincit Principium illud primum esse substantiale; dicam enim esse accidentale, quia advenit enti in actu completo: Nec doctrina P. Poncii Physicæ Libro 1. Disputatione 4ª, Quæst. 1ª, quæ docet *Formam substantialem esse illam, quæ non supponit aliam, ex qua sequatur, aut producat, & est Principium aliquarum aliarum formarum constitutarum totius compositi conflati ex ipsa & subiecto, in quo recipitur*, contra facit, ut constet ex dictis in Logica Disputatione de substantia contra PP. Arriagam & Oviedum; & contrarium patet in subsistentia partiali formæ substantialis. Nec magis urget, quod dicat certum esse lignum & aquam substantialiter differre; differre plusquam res alba & nigra; quando ex re alba fit nigra, non dici rem albam destrui, & nigram generari, &c. quia primum supponitur, & non probatur; secundum solum convincit differre pluribus accidentibus; tertium est de modo loquendi, & si id non dicatur, ideo est, quia non censetur res illa habere pro accidente connaturali albedinem, aut nigredinem, quo solo destructo aut genito, censetur res destrui aut gigni.

xx. Respondeo 2º, non radicari in uno Principio, sed potentias & operationes omnes esse disparatas; unde in equo, vel homine moribundo, prius cessat una potentia & operatio, quam alia; prius

locutiva, quam auditiva; auditus, quam visus; respiratio, quam contractio nervorum, &c. si verò in igne virtus calefactiva, illuminativa & exsiccativa, ac per consequens calefactio, illuminatio & exsiccatio simul definant per extinctionem, non ideo est, quia per illam destruitur unum Principium substantiale illis commune; sed quia in corpore simplici completo, quod extingui dicitur, improducit accidentis aliquod contrarium attemperationi caloris, lucis, siccitatis, & cæterorum accidentium ignis inter se, præcisè necessariæ, ut sint calefaciendo, illuminando & exsiccando, apta inflammare, & comburere, quod est proprium ignis: deinde falsum est omnes simul perire; nam carbo non lucens, adhuc calefacit & exsiccatur, ut experientia docet; sed solum non exercent amplius operationes, quas virtute unitæ simul exercebant, & aliter non poterant.

xxi. Nec quod subdit, ferrum candens separatim ab igne recuperare propria accidentia priora; item animal ratione alicujus morbi pene consumptum, morbo deficiente, recuperare pristinam sanitatem, convincit id fieri ratione formæ substantialis remanentis; sed homo virtute medicamentorum, aëris & alimentorum, sanitatem recuperat, nec sine illis eam recuperaret: & ferrum candens virtute agentium circumstantium propria accidentia recuperat, & illa non recuperaret, si vel poneretur in vacuo, vel existens in pleno virtus agentium circumstantium unita residuis accidentibus Physicis, non esset fortior virtute accidentium impropriorum & posteriorum.

xxii. Objicies 4º, ex eodem Arriaga loco in Instantia præcedenti citato: fides docet post verba consecrationis destrui totam substantiam panis, & ibi manere omnia accidentia panis (saltem non modalia); ergo accidentia non sunt partes substantiæ panis; alioqui non esset tota substantia panis destructa; & cum ipsa materia non sit tota substantia panis (ne alioqui panis & lapis conveniant se totis substantialiter) oportet formam substantialem admittere, ergo datur.

xxiii. Respondeo in primis hoc argumentum nihil contra Resolutionem nostram concludere, quia procedit ab authoritate fidei, ad quam abinde responsum est supra Object. 1ª, ad Lateran. Respondendo.

xxiv. Respondeo 2º, ibi quidem destrui totam substantiam panis, scilicet corpus simplex completum, non tamen totam essentiam; quia non destruantur illa accidentia, quibus essentialiter constituitur, & differt à lapide; lapis enim & panis se totis substantialiter conveniunt, & solis accidentibus differunt; nec ratio aliud probat efficaciter.

xxv. Instabis ex P. Poncio Physicæ Libro 1º, Disput. 4ª, Quæst. 1ª, ergo post consecrationem manet totus panis, quia ibi est materia prima Corporis Christi, ejusdem naturæ cum materia panis, & præterea omnia, vel saltem præcipua accidentia panis; atqui hoc nullus dixerit, ergo, &c.

xxvi. Respondeo in primis hoc Argumentum, nihil etiam contra Resolutionem concludere; quia absurdum, quod infert, non est contra rationem, sed contra fidei authoritatem, à qua hic omnino abstrahimus.

xxvii. Resp. 2º, negando assumptum, quia illa accidentia non ununtur materiæ Corporis Christi per modum actus potentia, sive per modum

formæ informantis subiecto: quia ab illis non denominatur extensa situaliter, alba, &c. de quo, specialiter in Theologia: panis verò est compositum quoddam ex actu & potentia, forma informantis & subiecto.

xxviii. Obijcies 5^o, ex eodem P. Poncio loco citato, certum est experientia, aliqua accidentia aliquibus rebus convenire connaturaliter, & aliis disconvenire; calor enim convenit igni, & disconvenit aquæ, ut colligitur ex eo, quod non sit in aqua, nisi ab extrinseco agente, quo semoto, aqua reducit se ad pristinum frigus, rejiciendo calorem; ergo debet esse aliquid in illis, ratione cuius id accidat; ac proinde forma substantialis; quia Materia prima id esse non potest, ut patet.

xxix. Respondeo, sistendo in cognitione purè naturali, in qua tota hæc Resolutio sistimus, accidentia non dici rebus convenire, quia in illis est Principium aliquod exigens; & disconvenire, quia in illis est Principium aliquod contraria exigens; sed quia illæ res similibus accidentibus essentialiter constituuntur, & aliæ contrariis; nec (ut vidimus n. 21. contra P. Arriagam) si res illa accidentia deperdant, illa recuperare possunt aliter, quàm virtute agentium circumstantium: Adde quod hoc non convincat illud Principium (si daretur) esse formam substantialem, juxta dicta n. 19. contra P. Arriagam.

xxx. Obijcies ultimo ex P. Oviedo, loco suprà n. 9. citato: nulla Respublica potest ordinatè vivere, nisi homines metu pœnæ animabus post mortem infligendæ, arceantur; ergo datur anima rationalis immortalis substantialis.

xxxi. Respondeo hoc argumentum esse debile: quia homines possent adigi ad ordinatè vivendum pœnis temporalibus, sicut adiguntur canes ad non mordendum: homines deinde ad ordinatè vivendum, sufficienter inducuntur per innatam sibi legem naturalem; sicut bestia similis naturæ ad se amandum, sibi succurrendum, non plus manducandum aut bibendum, quàm sit naturæ consentaneum, &c. per legem naturæ suæ inditam satis coguntur.

xxxii. Adde hæc omnia dicta ex abstractione, & suppositione quod non detur fides Divina, aut decreta fidei, sed sola ratio; qui verò loquitur ex suppositione, non loquitur ex propria mente, neque ex veritate, sed ex sola doctrinæ consequentia; ita nos: quia tamen Concil. Lateran. Philosophia Magistris præcipit, ut argumenta solvant, quæ pro nullitate animæ rationalis formæ substantialis adduci possunt, sit

RESOLUTIO III.

xxxiii. Dico 3^o, etiam sistendo in nudis luminis naturæ Principiis efficaciter probari potest de facto dari formam substantialem: ita omnes Peripatetici; quorum tamen rationes nihil evincunt, ut Resol. 3^a. probatum est. Quare aliter

xxxiv. Probatur, sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis de facto datur Materia 1^a, quæ sit subiectum substantiale incompletum; ergo etiam sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis de facto datur forma substantialis, quæ sit actus substantialis incompletus: consequentia patet, quia incompletudo potentia substantialis, omnino ex se exigere videtur incompletudinem actus substantialis, per quem tanquam per compartem compleatur, ergo, &c. antecedens probatum est Disp. 2. Dub. 1^o.

xxxv. Confirmatur, si sistendo in nudis luminis naturæ Principiis efficaciter probari non potest de facto dari formam substantialem actum incompletum substantialem; etiam in hisdem sistendo efficaciter probari non potest, tam variam seriem accidentium compositi ignis, aquæ, hominis, &c. non refundi in Principium substantiale incompletum, illis intrinsicè, & diversum in diversis; quod cum efficaciter non probetur esse Materia 1^a, aut corpus completum simplex, sed potius oppositum, eo quod in quotidianis transmutationibus videatur manere idem numero subiectum; ut minus dubium est, an dentur formæ substantiales, &c.

xxxvi. Subsumo, atqui una vox est totius Ecclesiæ, & omnium Peripateticorum post Aristotelem, quod de facto detur forma substantialis actus incompletus: & sicut in dubiis stando in luminis naturæ nudæ Principiis, bonum commune est præferendum privato; ita iudicium commune privato, ergo probari potest dari, &c. Hinc pro solutione objectionum ex Resolut. 2^a.

xxxvii. Colliges, quod, ex dictis Resolutione 2^a, nullum contra hanc argumentum confici possit positivum, sed purè negativum tantum, tale: *Non est cur dici, cur id salvari non possit dicendo, &c.* cui per Resolut. hujus confirm. abunde satisficit, uti & per hanc retorcionem, *non est cur id non salvetur per formam substantialem, &c.* Vnde semper in posterum procedemus ex supposito, quod detur, uti verè & certò datur, saltem in homine, à quo, utpote nobiliori, bene ad ignobiliora argumentamur; tum quia compositio ex Materia & Forma, est quædam imperfectio, quæ, si perfectiori conveniat, potest & imperfectiori; tum quia melius in omnibus adstruitur unum Principium accidentium omnium, quàm tot disparata, ut patet ex dictis: ex his patet satisfieri Lateranensi Objectione primâ Resol. 2^a. citato.

RESOLUTIO IV.

xxxviii. Dico 4^o, Forma substantialis prout distinguitur contra substantiam (quomodo eam hic accipiunt Aristoteles & cæteri Philosophi) Est actus substantialis, unam naturam per se completam cum materia (quam aliunde dari & esse substantiam incompletam hic supponimus) consistens. Vide dicta n. 1^o.

RESOLUTIO V.

xxxix. Dico 5^o, Forma substantialis non est tota essentia Corporis Naturalis completi.

xl. Probatur, tum ex illius definitione, tum quia alioqui verè essent hæc propositiones, *Hæc anima rationalis est hic homo; homo est immortalis, non corrumpitur, &c.* quæ sunt absurdæ, ergo, &c.

xli. Confirmatur, sic forma dat materiæ esse determinatum, esse in talis generis vel speciei composito, ut in Quæstiuncula Dub. 3ⁱ. Disp. 2^a. vidimus ex D. Thoma pluribus locis, ut tamen non det materiæ esse existens per modum potentia, composito esse se solâ adæquatè constitutum, &c. ergo, &c. Probatur assumptum, alioqui similiter in atestactis figura se solâ adæquatè sedem constitueret, & in Symbolo Athanasii frustra post ly *anima rationalis* adderetur & *caro*, post ly *ita Deus* frustra adderetur & *homo*; nempe, sicut anima rationalis & caro

Et caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus: ista autem sunt absurda. ergo, &c.

XLII. Obijcies tamen 1^o. Aristoteles 2^o Physicorum Textu 18. ait formam esse rationem, & definitionem naturæ cujusque, quidquid erat esse, &c. ergo, &c.

Respondeo Aristotelem sic intelligendum, ut tantum velit formam esse rationem, & definitionem naturæ completivam, & ultimò in sua specie constitutivam; non verò completam rationem, & integram definitionem, ut constat ex dictis ad D. Thomam supra Disp. 1^a. Dub. 3^o. in Quæstiuncula citatum.

XLIII. Obijcies 2^o, si forma non sit tota essentia corporis completi, non erit idem homo senex & antea puer; sed id non admittitur, ergo, &c. Probatur sequela, quia, cum semper aliquid materiæ per activitatem caloris naturalis absumatur, & nova & nova per nutritionem subrogetur, contingere poterit, ut senex totam materiam suam primigeniam perdidit (quia illa admodum parva est) & acquirerit novam; atqui mutata parte essentiali, mutatur totum essentialiter, ergo, &c.

XLIV. Respondebis cum P. Suares Disp. 5^a. Metaph. Sect. 6^a. corpus completum constare quidem essentialiter formâ determinatâ, sed materiâ quâcumque & indeterminatâ; ac proinde esse eundem hominem essentialiter senem, & antea puerum. Sed

XLV. Contra: hæc sententia magnas difficultates patitur; quia, vel materia, quam Sanctus Martyr aliquis reliquit in morte, in resurrectione ab illo glorificanda resumetur, vel non? non primum, quia casu quo fuisset tota caro illius à barbaris, & Anthropophagis devorata, ac in ipsorum substantiam conversa, (quod, ut patet, fieri potest) sequeretur idem corpus esse damnatum & glorificatum; damnatum habere corpus æternum gloriosum, & Sanctum habere corpus æternum damnatum; imo & corpus lupi resurgere ac glorificari, si dicta caro à lupo devoraretur, quæ sunt absurda: si secundum, ut quid veneramus reliquias sanctorum, sive materiam, quam Sanctus in morte reliquit, si illa in resurrectione ab illo glorificanda resumitur non debeat? ibi enim est præcipuum fundamentum nostræ venerationis; deinde tale totum, quales partes, si pars essentialis indeterminata, totum essentialiter indeterminatum. Quare aliter

XLVI. Respondeo negando sequelam; ad ejus probationem Respondeo semper aliquas ex primigeniis partibus remanere in ossibus, & similibus partibus corporis solidioribus; unde fit, quod semper maneat idem essentialiter senex & puer; ut docet Augustinus Serm. de Assumptione D. Virginis cap. 5^o. Caro Christi, caro Maria est, & post pauca. Caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria. Quantum verò ad resurrectionem attinet, homo resurget secundum corpus, quod reliquit in morte; sed in periculo dictorum inconvenientium, secundum dictas partes primigenias tantum, consonanter ad illud Job. 19. Circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum; & Divinâ virtute aliunde supplebitur (ait Divus Thomas in additione quæstionis octuagesimæ art. 4^o ad 3^{um}) Quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, sicut etiam suppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt: sed de his plura in Theologia.

DUBIUM II.

An forma substantiales intendi & remitti possint.

Ante Resolutionem

XLVII. Suppono 1^o, ex dicendis in libris de generatione, intensionem fieri per veram additionem gradus ad gradum præexistentem in eadem parte subjecti; remissionem verò per veram deductionem gradus à gradu remanente in eadem parte subjecti.

XLVIII. Suppono 2^o certum, & apud omnes experientiâ notum, aliquas formas accidentales intendi & remitti; calor enim in igne non semper æqualis est: idem est de frigore in aqua, luce in aëre, gratia Sanctificante (ut fides habet) in iusto.

XLIX. Suppono 3^o, magis usu discendum, quàm à paritate rationis probandum, quæ formæ sint capaces, & quæ incapaces intensionis ac remissionis; nullus enim hoc modo argumentabitur, 1^o. Possunt gratia, fides, charitas & similes qualitates spirituales intendi ac remitti, ergo & intellectus & voluntas; quàmquàm fortè, si distinguerentur ab anima realiter, (quidquid alii dixerint) id non reputarem omnino absurdum, siquidè habent subjectum; & id videtur colligi ex eo, quod unus alio perfectius intelligat & ratiocinetur, perfectius velit & appetat; quod refundere in melius temperamentum, videtur logius peti; & propius dici potest, ubi melius temperamentum, ibi intensiorem intellectum & voluntatem supponi; sicut ubi major dispositio ad proprietates ignis, intensiores cum igne congenerantur; ubi majores dispositiones ad primam gratiam Sacramentalem, intensior recipitur; si enim hæc potentiæ admittant intensionem, quidni & illæ? cum sint eidem æquæ accidentales. Vnde Noster Bacho in 3^{um}. Dist. 15. q. 1^a. §. 2^o. Si potentie anime sint accidentia quadam anime absoluta, non repugnat eis suscipere magis & minus in operatione & essentia. Et paulò infra: Et secundum hanc comparisonem hoc nihil prohibet, quod unus sit subtilioris intelligentiæ, quàm alter. Item Articulus 124. Parisiensis apud eundem §. 1^o. ibidem. Inconveniens est ponere aliquos intellectus (puta hominum, quia id in favorem animæ Christi, dicit) nobiliores aliis, &c. nota, est Error. Nullus hoc modo argumentabitur 2^o. Possunt calor, lux, &c. intendi & remitti, ergo & ubi, duratio, &c. negatur enim consequentia, quia, vix intelligi potest, quomodo aliquid sit magis in loco uno tempore, quàm alio; aut magis in tempore unâ horâ, quàm aliâ. His suppositis, fit

RESOLUTIO I.

I. Dico 1^o, formæ substantiales materiales possunt naturaliter intendi & remitti. Hæc conclusio solâ ratione, nullâ autoritate nititur. Quare eam præcisè stando in ratione defendimus, & authoritati negativam partem ulro concedimus.

LI. Dixi materiales, quia spirituales totales Physicæ, ut anima rationalis, subjectum sustentationis non habent, quod ad intensionem & remissionem requiritur.

LII. Probatur conclusio, id potest intendi & remitti naturaliter, quod potest habere naturaliter modò plures, modò pauciores sui partes in eadem parte subjecti; sed id possunt formæ substantiales

C 4 mate.

materiales, ergo, &c. Probatur minor, quia id possunt earum proprietates, ut v. g. calor in igne, frigus in aqua: sed intensiori proprietati intensius Principium, & remissiori remissius est magis proportionatum, ergo, &c. Probatur consequentia, quia hæc major proportio servari debet, quantum sine absurdo potest, quod hic nullum adfertur, ut solutione Argumentorum patebit, ergo, &c.

LIII. Confirmatur 1^o, extensa proprietati præsupponitur extensa essentia connaturaliter; ergo & intensa, aut remissa, intensa aut remissa: consequentia tenet à pari.

LIV. Confirmatur 2^o, nisi probetur contrarium, non est ratio dicendi proprietates intendi & remitti, & non intendi & remitti formas; nam effectui remisso connaturalior est causa remissa; si enim forma aquæ in præsentia ignis, nihil virium, sive sui, perdat; quomodo admittit calorem, & frigus suum non conservat, uti in absentia ignis? denique, sicut magnus ignis dicitur intendere calorem parvi, quidni & formam ipsius ignis parvi? in eo enim nulla repugnantia, quandoquidem etiam subjectum sustentationis habeat.

LV. Objicies 1^o, juxta Aristotelem capite de Substantia. Substantia non suscipit magis & minus, non suscipit gradus, &c. ergo, &c.

LVI. Respondeo 1^o, Aristotelem ibi dubitanter loqui, & habere, *Substantia non videtur suscipere gradus*; prudens verò & rationabile dubium, quale debet tali ingenii Monstro tribui, est de re utrimque probabilis; unde ipsemet Aristoteles censet nostram sententiam esse probabilem.

LVII. 2^o, Dic Aristotelem ita explicandum, ut tantum nolit omnem omnino substantiam suscipere gradus, ut patet ex sequentibus, *unaquæque substantia* (id est omnis) *Hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus, non enim est alter, altero magis homo.* Ecce ibi ostendit unam substantiam in particulari non suscipere magis & minus.

LVIII. 3^o, Dic Aristotelem melius explicari, si dicatur loqui de susceptione magis & minus, non quidem quoad gradus intensiōis & remissionis, sed quoad perfectionem specificam; quia 6^o. Metaph. capite 3^o. vult illam consistere in indivisibili, ita scilicet, ut vel unicus gradus formæ sit de essentia totius; ac proinde quod unus equus non sit magis aut minus equus, quam alter, propter magis aut minus intensam formam; nec aliud docere ibi intendit Aristoteles, ut constat ex verbis allatis, quod rectè notat noster Eximius Pater Bacho in 3^{um} Distinct. 15. q. 1.

LIX. Adde de veritate magis indagandum, quam de mente Aristotelis, ut notant prudentissimi viri; unde (quidquid dixerit Aristoteles) semper stat Resolutio, quamdiu aliunde argumento positivo non reprobatur.

LX. Objicies 2^o: forma substantialis est primum Principium constitutivum rei, & prima radix omnium proprietatum illius; ergo debet esse fixa & immutabilis; ac proinde non potest intendi ac remitti.

LXI. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in extensionem formæ substantialis forma substantialis est Principium, &c. ergo debet esse in extensione fixa & immobilis, non secus ac in intensiōe; hujus tamen experientia contrarium docet.

LXII. Respondeo 2^o, distinguendo consequens; ergo debet esse fixa & immutabilis, quoad illum

gradum secundum quem est de essentia totius Physici, ne alioqui mutetur essentia, concedo consequentiam; quoad omnes gradus, nego consequentiam; quia non omnes sunt de essentia, sed unus, indeterminatè saltem, reliqui integrales & accidentales.

LXIII. Objicies 3^o, si forma aquæ v. g. posset intendi & remitti, hoc maxime fieret, cum intenduntur & remittuntur illius dispositiones: sed tunc non fit, ergo, &c. Probatur minor; quia si tunc forma aquæ esset remissa, neque ipsa, neque ejus proprietas ad pristinum statum rediret; nam formæ remissæ connaturalior est proprietas remissa, sive effectus remissus, ergo, &c.

LXIV. Respondeo negando minorem: ad ejus probationem nego assumptum; nam aqua redit ad pristinum frigus, non per virtutem intrinsecam, sed beneficio agentium circumstantium, potentium frigus aquæ amissum, & cæteras dispositiones ad formam aquæ necessarias remissas intendere; quæ, si non circumessent, sed agentia contraria; vel si simul juncta cum residuo frigore aquæ, debiliora essent dispositionibus contrariis introductis; aut nulla, ut in vacuo; aquæ frigus, & aliæ ad ejus formam dispositiones, ad pristinum statum non redirent; quia, ut bene objicitur, formæ remissæ connaturalior est proprietas remissa: facta verò restitutione pristini status, & graduum dispositionis necessariae deperditorum, illis mediantibus ut quo, agentia circumstantia formam aquæ intendunt, & ad pristinum statum restitunt; hæc tamen proportionem servat, ut restituta dispositione necessaria ad gradum formæ aquæ, gradus formæ aquæ restituatur, & sic successivè, donec tota restituatur.

LXV. Objicies 4^o, formæ ignis & aquæ sese non compatiuntur in gradibus remissis, sicut calor & frigus; ergo non intenduntur & remittuntur, sicut calor & frigus.

LXVI. Confirmatur; vel uni gradui caloris respondet unus gradus formæ ignis, & c. contra, vel plures? sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor; non primum, quia alioqui ubicumque esset unus gradus caloris, ibi deberet esse unus gradus formæ ignis, contra experientiam in aqua: non etiam secundum; quia, præterquam quod, ubicumque essent plures, quam unus gradus caloris, ibi deberet saltem esse unus gradus ignis contra eandem experientiam; dicendum esset contra communem in igne ad minus esse sedecim gradus caloris, cum juxta communem in hoc statu, ut magis in eo sint sex & ad singulos gradus formæ ignis requirantur plures caloris, ergo, &c.

LXVII. Respondeo negando consequentiam; nam formæ possunt esse intensibiles & remissibiles, & tamen non posse sese in eodem subjecto in gradibus remissis compati; nam gratia & peccatum, assensus & dissensus, absolute & per idem medium, odium & amor circa idem & eodem sensu intendi & remitti possunt, non tamen sese in eodem subjecto in gradibus remissis compati, ut fatentur omnes: idem dicendum de forma ignis & aquæ; quia experientia docet etiam aquam, summe, quam potest fieri, calidam, numquam habere effectus ignis, videlicet inflammationem comburendo, exsiccationem, &c.

Ad Confirmationem

LXVIII. Respondeo uni gradui formæ ignis unum tantum gradum caloris respondere; si per illud intelligatur tanta dispositio, quanta necessaria est

An plures forma totales substantiales non subordinata possint naturaliter simul esse in eadem materia.

LXXIII. **D**ixi 1^o, totales; quia partiales, & subordinatas simul esse in materia cum forma totali, cui subordinantur, asserunt multi; & idem asserit de forma corporeitatis Scotus in 4. Dist. 11. q. 13. art. 2.

LXXIV. Dixi 2^o, substantiales, quia accidentales posse, clamat experientia; quis enim in pomo colorem non videt, & saporem non gustat? his præmissis pro Resolutione.

LXXV. Suppono 1^o, formas substantiales non aliter esse contrarias, quam quia habent dispositiones contrarias, & incompatibiles simul in eodem subiecto: cur enim potentia visiva, auditiva, tactiva, &c. simul radicanur in eadem anima; non autem potentia calefactiva & frigeactiva intensæ, radicanur in eadem forma substantiali? nisi quia illæ non habent Dispositiones contrarias, & simul incompatibiles in eodem subiecto, bene autem hæc: unde fit, quod forma contraria substantialis non introducatur in subiectum, quin ab eodem subiecto expulsa sint dispositiones ad contrariam: adde quod sine fundamento talis contrarietas refundetur in naturam formarum; quandoquidem, de illa sit dubium, & infra in Confirmatione 2. per experientiam oppositum contra PP. Nostros Complutenses hic, Ioan. à S. Thoma & alios probetur.

LXXV. Suppono 2^o, multas formas substantiales habere dispositiones contrarias, ut experientia docet, multas non; quia multa sunt aggregata accidentium non contraria ut patet; dispositiones verò ad formas substantiales nihil sunt, nisi aggregata talium, & talium accidentium. His suppositis, fit

R E S O L U T I O.

LXXVI. **D**ico: variae formæ substantiales, &c. possunt supernaturaliter; imò naturaliter; etiam in gradu intenso, si non habeant dispositiones contrarias; in remisso, si habeant; esse simul in eadem materia tamquam causa materiali. 1^a pars est Gregorii in 1. Dist. 12. Palud. in 3. Dist. 15. q. 2. Fonseca 5. Metaph. cap. 4^o. q. 4^a. Suares Disp. 15. Metaph. Sect. 10. n. 60. Rubii. Tract. de forma q. 7. Hurtad. Arriaga & aliorum è Societate communiter; quos è Scotistis sequuntur Mastrius, Poncius & plures alii. Contra Thomistas, Capreolum, Ferraram, Cajetanum, Complutenses nostros & Ioannem à S. Thoma. 2^a Pars verò nullius est, quod sciam; eam tamen probabilem censet P. Arriaga Disp. 3. Physicæ. Sect. 6. unde in hac Resol. nostræ parte 2^a, ab autoritate præscindimus, eamque præcisè in ratione & experientia sistendo, probamus.

LXXVII. Probatur prima Pars: quia nihil negandum Divinæ potentiae sine aperta repugnantia, quæ hic non est, ut patebit à fortiori ex probatione secundæ partis.

LXXVIII. Probatur 1^o secunda Pars: variae qualitates possunt esse simul naturaliter in eadem materia tamquam causâ materiali; in gradu intenso, si non sint contrariæ; in remisso, si contrariæ; ergo & variae formæ substantiales, &c. ad quas sunt dispositiones: Probatur consequentia, quia hæc non habent aliam contrarietatem, quam qualitarum disponendum, ergo, &c.

Nec

est ad unum gradum formæ ignis; verumtamen ubicumque erit unus gradus caloris, non statim sequetur fore unum gradum formæ ignis; quia non solus calor est dispositio ad formam ignis, sed calor, siccitas & alia ignis accidentia non satis nobis nota; quæ omnia, sicut in sententia adversariorum, numquam sunt simul in aqua, secundum gradus necessariæ dispositionis ad formam ignis; ita numquam sunt simul in aqua, secundum primum gradum necessariæ dispositionis ad formam ignis; quia verisimiliter aqua est tam tenax suæ humiditatis, vel alterius accidentis contrarii, ut siccitatem, vel accedens contrarium, nequidem secundum unum gradum admittat, prout in sententia adversariorum numquam illud admittit secundum gradus necessariæ dispositionis ad formam ignis.

LXXIX. Instabis: *Generatio unius est corruptio alterius*, saltem ubi agentia naturalia aliquo tempore in invicem agunt, & reagent; sed hoc foret falsum, si duæ formæ substantiales materiales possent se in gradibus remissis compati, ergo, &c.

LXX. Respondeo distinguendo sensum Axiomatis istius: *Generatio unius*, si alterum præcesserit in gradu incompatibili, *Est corruptio alterius*, puta secundum gradum incompatibilem, concedo: si alterum non præcesserit, vel non nisi in gradu compatibili, nego antecedens; eam enim proportionem, quæ omnes loquuntur de accidentibus contrariis, loqui debes de termino à quo, & ad quem generationis, videlicet formâ pereunte, & adveniente; nec præfatum Axioma potest aliter intelligi; nam omnino clarum est, quod si, vel forma positiva non præcesserit, ut in initio mundi in generatione elementorum; vel non nisi in gradu compatibili, ut fit in multis, de quibus dubio sequenti; generationem unius non esse corruptionem alterius, saltem totalem.

LXXI. Obicies ultimò ex P. Oviedo contravertia 4^a, de generatione puncto 1^o, ubi dicit, nullam esse rationem, ex qua possit oppositum leviter conjectari, & hoc sibi esse fortissimum fundamentum ad conclusionem oppositam amplectendam, quam hæc unica ratione suadet: intensio supponit id, quod intenditur, jam constitutum in illa ratione, secundum quam fit intensio; quod sic probat: si gradus intensiois non supponit jam formam Physicè constitutam, non erit intensio, sed complementum formæ, vel aliquid essentialiale illius: si verò sit ita constitutum, quod addetur, erit accidentale, non substantiale; ac proinde equum aut ferrum non constituet substantialiter, sed accidentaliter, ergo, &c.

LXXII. Respondeo ad primam partem argumenti, abundè esse satisfactum per probationem & confirmationes Resolutionis: ad secundam verò, Respondeo distinguendo assumptum: intensio supponit id quod intenditur, jam constitutum in esse entis, concedo assumptum; in esse entis intensi, nego assumptum: unde quod addetur, erit quidem non essentialiale, & hoc sensu accidentale enti, cui addetur; non verò enti intenso; sed erit illi essentialiale, ut patet: si verò forma equi, aut ferri ante additionem supponat equum, aut ferrum, adæquatè constitutum, ideo est, quia non exigit essentialiter formam intensam, & secundum gradum intensivè divisibilem; sed formam intensibilem dumtaxat, & secundum gradum intensivè divisibilem, cæteris gradibus intensiois ad ejus essentialia se habentibus integraliter, & accidentaliter, sive potius, non essentialiter.

LXXXIX. Nec dicas cum P. Oviedo, nullum esse fundamentum tribuendi materiæ virtutem recipiendi duas formas substantiales simul; ac proinde illas habere contrarietatem ex parte subjecti sive materiæ: nam (præterquam quod non sit etiam fundamentum materiæ talem virtutem negandi) 1^{um} fundamentum tribuendi est, quod experientia doceat ferè omnes causas, quæ possunt successivè præducere plures effectus, posse ut minimum duos simul: potest autem materia successivè omnes formas substantiales materiales materialiter causare, ergo & saltem duas simul. 2^{um} verò est, quod, ut patet ex statim dicendis, experientia doceat materiam de facto plures simul recipere.

LXXX. Dixi tamen in Resolutione varia; quia formas ignis & aquæ (ac proinde nec earum qualitates in gradu remisso necessario ad faciendum unum gradum dispositionis ad formas illas producendas aut conservandas necessariæ, juxta explicationem factam dubio præcedenti) simul naturaliter stare non posse in eadem materia, etiam in gradu remisso, videtur experientia docere.

LXXXI. Probatur 2^o, secunda Pars: quia nulla est ad hoc repugnantia naturalis, ergo, &c. Probatur antecedens non ex parte materiæ, ut statim insinuavimus, & solutione objectionum magis confirmabitur: neque ex parte formarum, ut patet ex supposito 2^o; neque ex parte dispositionum, quia, si non sint contrariæ, uti possunt non esse, ut probabitur per experientiam in Confirmatione 2^a: (certe non est, cur qualitates, quæ per se sunt dispositiones ad formas substantiales, omnes sint ad formas substantiales incompatibiles, cum per se non omnes sint qualitates invicem incompatibiles: deinde ex primis qualitatibus dantur compatibles & incompatibiles, quidni & ex primis actibus sive formis substantialibus tales darentur) se compatiuntur naturaliter in gradu intenso; si verò contrariæ, saltem in remisso pro majori parte: nec aliunde sumi potest repugnantia naturalis, ergo, &c.

LXXXII. Confirmatur 1^o, possunt duæ formæ substantiales totales ejusdem rationis esse simul in eodem subjecto, ergo & duæ diversæ rationis; consequentia tenet à fortiori; quia hæc habent diversa munia, unde non possunt esse superflua, quod contra alios objicitur: Probatur antecedens, quia in casu quo monstrum aliquod haberet capita & pectora duo, sed duos tantum pedes; pedes illi duabus animabus informarentur, quibus pectora & capita informarentur, cur enim potius unâ, quàm aliâ informarentur? maximè cum altera dici non deberet superflua (saltem simpliciter) quia pro majori parte corporis (scilicet capitibus & pectoribus,) à qua sumitur denominatio, esset utilis, ergo, &c.

LXXXIII. Confirmatur 2^o, experientia: in ferro rubicundo & candenti sunt qualitates & effectus ferri ac ignis; in ligno crescente sunt qualitates corporis animati & ligni; in ligno accenso sunt qualitates ignis & ligni: sed ista omnia includunt materiam & formam substantialem, ergo in materia ferri rubicundi, sunt naturaliter forma ferri & ignis; in materia ligni crescentis, forma ligni & viventis; in materia ligni accensi, forma ligni & ignis: Adde quod in corpore hominis vivente, & carbone accenso, vel sit forma positiva cadaveris & carbonis, quia post aliunde non improducuntur, sed apparent ibi posita præcisè morte & extinctione, nullo alio superaddito; vel dicendum, quod formæ cadaveris

& carbonis non sint formæ positivæ, ac proinde quod homo in morte, & ignis in extinctione, maneat naturaliter sine omni forma secundum esse materiæ suæ, quod non admittunt adversarii. Unde pateret ad nostros PP. Compl. secundarios effectus formæ cadaveris & carbonis non esse magis privativos, quàm sint ipsæ formæ cadaveris & carbonis; imò communis loquendi modus, quo dicitur carbonis ignitus, cadaver mortuū, &c. satis contrariū insinuat.

LXXXIV. Respondetur communiter, ignem non existere in materia ferri, sed in materia distincta in ferri poris conclusa: quod confirmat P. Poncius, quia si in materia ferri esset forma ignis, falsum esset axioma Philosophi ab omnibus receptum, *Generatio unius est corruptio alterius*: Sed

LXXXV. Contra 1^o, præterquam quod nulla experientia doceat ignem esse in materia distincta in ferri poris conclusa, experientia manifestum est ferrum esse totaliter ignitum, & non solos poros; nam si superponatur asseri, non secundum poros, & per puncta dumtaxat illum comburet, sed secundum totam sui extensionem; ut quid hoc? si ignis in poris tantum lateat: certè, cum tot sint partes, vel plures non porosæ, ac porosæ, deberet secundum tot partes non comburere & apparere non ignitum, secundum quot comburit, & apparet ignitum, cujus contrarium omnes experimur.

LXXXVI. Nec Responderi potest, omnes partes ferri candentis apparere ignitas, licet non sint; eò quod pori igniti, sint ita prope invicem, ut totum appareat ignitum, licet non sit: quia potius & melius diceret à contrario (quod tamen sine absurdo & contra evidentem experientiam non dices, spero) omnes apparere non ignitas, quia partes non porosæ, quæ plures, sunt ita prope invicem, ut totum apparere debeat non ignitum; Nec dici potest, quod candor ignis magis visum feriat, quàm color ferri: nam (præterquam quod non magis feriat tactum, & ferrum ubique comburat, ac proinde debeat dici ubique ignitum) experientia docet colorem ferri in medio fracti magis visum ferire, ut pote irradiantem, quàm feriat candor ignis. Sed

LXXXVII. Quæres, cur, si in ferro candente sit simul cum forma ferri forma ignis, hæc ibi non remaneat & conservetur, sed sola forma ferri?

LXXXVIII. Respondeo, quia forma ignis continuo indiget pabulo in se convertibili, ut experientia docet, quod ibi non habet: forma verò ferri, tali pabulo non indiget: deinde, dum cessat forma ignis, ferrum simul cum agentibus circumstantibus frigidius est, quàm forma ignis sit calida, unde facile cum eorum auxilio formam ignis expellit, quam per se, aut in vacuo non expelleret: denique id ipsum tibi solvendum, quare in poris se non conservat ignis, maximè cum secundum te habeat subjectum, sive materiam distinctam à materia formæ ferri? Quod tu respondebis poterimus & nos.

LXXXIX. Contra 2^o, nulla est ratio aliter Philosophandi de ferro candente, ac de litantrace, vel ligno ignito, cum hæc remaneant igne extincto, non secus ac ferrum; sed nullus dicit ignem esse in solis poris litantracis, aut ligni igniti, ergo, &c. Ad Confirmationem P. Poncii Responsum est dubio præcedenti objectione 4^a.

LXXXX. Responderi posset ad secundam experientiam ligni crescentis, in eo esse solam animam, quia lignum non habet formam ligni substantialem, sed formam ligatam ut ligni esse accidentia quædam;

dam; vel saltem illam (si substantialis) expelli præ-
sente animâ. Sed

LXXXI. Contra est, quod (præterquam quod si-
militer dicam animam, & cæteras formas substan-
tiales materiales non esse substantiales, sed acciden-
tia quædam) oporteat admittere materiam primam
in ligno naturaliter existere sine omni formâ sub-
stantiali totali, &c. quod non admittitur; quod ad-
ditur verò formam ligni substantialem expelli, est
incredibile, cum sub anima sint omnia accidentia
ligni, sicut eâ absente & mortuo ligno. Tamen

LXXXII. Objicies 1^o, contra conclusionem, no-
vem implicantias, quas hic adfert P. Poncius.

LXXXIII. 1^a, expulsio alterius formæ à subiecto
esset, & non esset, effectus formalis formæ: esset ut
admittunt omnes; non esset, ut patet ex conclusione.

LXXXIV. 2^a, casu quo in eadem materia esset for-
ma equi & leonis, materia esset de essentia equi, ut
supponitur; & non esset, quia esset de essentia leonis.

LXXXV. 3^a, quod materia simul & semel haberet
duos effectus adæquatos, nimirum equum & leo-
nem.

LXXXVI. 4^a, quod compositum resultans ex
materia & illis formis, esset unum, & plura numero
& specie; idem propter eandem materiam; plura
propter diversas specie formas totales.

LXXXVII. 5^a, quod materia dependeret ab al-
terutra forma, & non dependeret: dependeret ut
supponitur; non dependeret, quia ab una adæqua-
tè dependet.

LXXXVIII. 6^a, quod esset infinitæ perfectionis,
& non esset: esset, quia, si posset simul duas formas
recipere, posset infinitas, quod est infinitæ perfe-
ctionis; non esset, ut supponitur.

LXXXIX. 7^a, sicut implicat unam formam esse
in pluribus materiis simul; ita implicat materiam un-
nam esse sub pluribus formis simul.

C. 8^a, quæ est communis Thomistarum Nomi-
nialium, PP. nostrorum Compl. & Ioan. à S. Tho-
ma; altera formarum esset substantialis, & non esset;
esset actus primus, & non esset: esset, ut supponitur;
non esset, quia adveniret enim in actu completo, sive
habenti primum alium actum.

C. 9^a, quæ est fere fundamentum PP. nostro-
rum Complutensium & Oviedi, materia non est
capax duarum formarum substantialium naturali-
ter; ex quo inferunt, ergo nec supernaturaliter: pro-
bant consequentiam, quia nequidem Deus potest
supplere causalitatem materiæ in illas.

C. 11. Resp. ad 1^{am}: expulsionem formæ non esse
effectum formalem formæ, saltem primum; quia
hic non distinguitur ab ipsa forma informante, quæ
dari potest sine expulsionem formæ prioris, ut patet
in formis elementaribus informantibus materiam
antea non informatam, & qualitatibus informantibus
subiectum non habens contrarias; si secunda-
rius verò, à primario separari potest, ut constat tum
in allatis casibus; tum in casu quo forma succedens
non habeat dispositiones contrarias formæ priori,
& incompatibiles cum ejus dispositionibus: dicere
autem quod forma informans habeat necessariò an-
nexam privationem alterius formæ; non est ratio-
ni, & experientiæ allatis conforme, & fingitur, si
non probetur: unde patet ad 1^{um} fundamentum
PP. nostrorum Complut.

C. 12. Respondeo ad 2^{am}, isto casu materiam fo-
re de essentia equi & leonis, sicut unio eadem indi-
visibilis est de essentia animæ unitæ corpori, & de

essentia corporis uniti animæ; vel eadem indivisibi-
lis subsistentia de essentia corporis subsistentis, &
de essentia animæ subsistentis: non tamen propter
ea equus posset dici leo, aut è contra; quia equus &
leo sunt nomina naturæ, quæ dicunt naturam, sive
materiam & formam in recto, subsistentiam solum
in obliquo; falsum autem est, natura equi est natura
leonis: addo quod nequidem per communicatio-
nem idiomatum, equus possit dici leo, quia com-
municatio idiomatum (ut in tertia parte) est inter
naturas completas ejusdem suppositi; ibi autem
essent diversæ supposita propter formas diversis
subsistentiis subsistentes: unde patet ad fundamen-
tum P. Ioan. à S. Thoma.

C. 14. Respondeo ad 3^{am}, quod supponatur fal-
sum, videlicet effectum adæquatum materiæ esse
unam formam totalem substantialem sustentare,
cum tamen possit omnes simul, quarum simul ne-
cessarias dispositiones habere potest: imò, si ad plu-
res formas totales substantiales simul habeat neces-
sarias dispositiones, non magis satiatur appetitus
materiæ per unam, impeditis aliis, quam satiaretur
habens necessarias ad unam, si illa una impediretur.

C. 15. Respondeo ad 4^{am}, illud compositum fore
unum inadæquatè ex parte materiæ, sicut est unum
ex parte unionis & subsistentiæ, si unio & subsi-
stentia sint una totius; & multa inadæquatè ex
parte formarum, sicut est multa ex parte materiæ
& formæ unitarum & subsistentium: Adde fore
duo composita numero ac specie, ratione forma-
rum numero & specie distinctarum, & unum nu-
mero ex parte solius materiæ, cujus, quia non est
ratio ultima & completa compositi, non habetur
tanta ratio, ac formæ, quæ dat esse rei.

C. 16. Ad 5^{am}, Respondeo quod à neutra depen-
deret, ut constat ex dictis Disputatione præceden-
ti, ubi diximus materiam primam posse naturaliter
existere sine omni forma; si verò non posset, ab al-
terutra tantum indeterminatè penderet, sic nempe,
ut posset simul utramque habere, non tamen simul
utræque carere, quin aliam reciperet.

C. 17. Ad 6^{am}, Respondeo (præterquam quod,
ex eo quod possit simul recipere aliquot earum
quas potest successivè, non statim sequatur posse om-
nes, ut patet in omnibus causis, quæ successivè
possunt prope modum infinitos effectus produ-
cere; non tamen simul jundè non sequi materiam fore
infinite perfectam ex parte sua, sed infinite perfe-
ctibilem dumtaxat; quia ex eo quod materia perfici-
atur animâ rationali v.g. non sequitur illâ habere
ex parte sua perfectionem animæ rationalis, & sic
de aliis, sed perfectibilitatem ab illa, & sic de aliis.

C. 18. Ad 7^{am}, Respondeo formam spirituales
posse esse in duabus materiis continuis, ut patet in
anima rationali in corpore humano existente: ma-
terialem verò non posse; quia deberet, sicut & ma-
teriæ, esse naturaliter in pluribus locis adæquatis,
quod est contrà experientiam: ad hoc verò, ut una
materia informetur pluribus formis simul, non est
necessarium ut illa materia sit in pluribus locis adæ-
quatis; quia illæ formæ naturaliter se penetrare pos-
sunt, & esse in eodem loco.

C. 19. Ad 8^{am}, Respondeo utramque formam fu-
turam substantialem, & actum negativè primum,
quia non advenirent enim in actu completo antece-
denter ut in actu, sed materiæ secundum se, sive in
actu completo concomitanter: unde remanerent a-
ctus negativè primi & formæ substantiales, ac actus
simpliciter

simpliciter primi, licet non positivè seu cum exclusione alterius similiter primi. Vnde patet ad PP. nostros Comp. & Ioan. à S. Thoma.

cx. Ad 9^m. Respondeo nullius esse roboris contra nos, qui admittimus materiam esse naturaliter capacem duarum formarum substantialium simul, cuius contrarium falsò supponitur: hoc tamen etiam non admissò, nihil urget; quia sicut Deus supernaturaliter efficere potest, ut anima rationalis sit supernaturaliter subiectum educationis, & causa materialis materiæ primæ; potest etiam efficere, ut materia prima incapax duarum formarum substantialium, sit supernaturaliter capax illarum. Si autem quæras quid circa hoc dubium senserit D. Thom. hoc accipe ex P. Ioan. à Sancto Thoma q. 10. de causa art. 50. circa hoc dubium, *De mente Divi Thomæ non facile judicari potest, cum ratio D. Thomæ huiusmodi quæstiones de potentia absoluta Dei disputet, & loca quæ adferuntur procedunt secundum ordinem nature: ita ille: an autem loca, quæ adferuntur, convincant D. Thomam velle secundum ordinem nature duas formas totales substantiales non posse simul esse in eadem materia? mihi valde dubium est.*

cx. Objicies 2^o, si duæ formæ substantiales naturaliter simul esse possint in eadem materia, ut quid videmus ad generationem novæ formæ, continuò corrumpi veterem? ita ferè P. Ioan. à S. Thoma hic q. 10. art. 50.

cx. Respondeo, non continuò corrumpi veterem, ut patet per experientias allatas; si verò corrumpatur, fit, quia habet dispositiones contrarias, quo tamen casu, non semper in instanti corrumpitur tota, sed successivè, & per partes ad corruptionem successivam dispositionum; unde toto illo tempore sunt duæ formæ substantiales simul in eadem materia in gradu remisso: Adde non omnes formas substantiales habere operationes aliquo sensu clarè perceptibiles, ac proinde antiquam sapius remanere cum forma nova, ubi putatur corrupta.

cx. Objicies 3^o, ex P. Comptono Physicæ Disp. 11a. Sect. 3^a. n. 8^o. corpus non est naturaliter capax simul duarum ubicationum ob limitationem; ergo nec materia, &c. Probatur consequentia; quia sicut, si esset naturaliter capax plurium ubicationum simul, numerus earum determinari non posset; ita nec formarum in materia, si materia esset naturaliter capax, &c. id verò est absurdum, ergo, &c.

cx. Respondeo negando consequentiam, quia, ita docet experientia corpus non esse simul naturaliter capax plurium ubicationum, ut simul doceat esse capax plurium formarum, supposito quod dentur formæ substantiales: ad probationem autem consequentiæ, Resp. retorquendo Argumentum 1^o, in gradus intensiōis; si materia sit capax duorum graduum caloris naturaliter, determinari non poterit numerus graduum, &c. quod non admittit: 2^o, in ipsas formas accidentales; non enim potest contrarias recipere; 3^o, in extensionem localem Angeli, quæ non statim ad infinita loca esse potest, quia ad duo v.g. esse potest: si verò rationem quæras, est, quia formæ illæ ab extrinseco agente educendis, sufficientia, vel non semper adsunt, vel si adsint, non simul possunt oppositas formas simul educere, ut vel ex ipsis accidentalibus patet: denique nullum apparet absurdum, in eo quod materiæ ista capacitas concedatur, quandoquidem quantitati si-

milis in ordine ad formas accidentales recipiendas concedatur.

D V B I V M I V.

An forma materiales educantur de potentia materia, & quomodo.

A Ntè Resolutionem cxv. Suppono 1^o, educationem posse considerari dupliciter: 1^o activè, & sic est actio, quæ forma egreditur ab agente mutante materiam: 2^o passivè, & sic est passio, quæ forma recipitur in materia ut subiecto sustentationis ac mutationis.

cxvi. Suppono 2^o, educationem formæ materialis ex materia, multū distingui à creatione activa & passiva formæ: à creatione activa quidē, quod hæc fit actio, quæ forma egreditur ab agente nō mutante materia; à passiva verò, quod hæc sit passio, quæ forma recipit esse præcisè, & nō in materia ut subiecto sustentationis, ac mutationis: sæpe enim contingit differentias formarum positivas exprimi per negationem, defectu perspicacis cognitionis earū. Sed

cxvii. Petes, quæ sit distinctio inter modum, quo forma materialis esse recipit in materia ut subiecto sustentationis ac mutationis, ab eo, quo anima rationalis primum suum esse recipit in materia.

cxviii. Responderet aliquis 1^o, ex P. Lefso de summo bono libro secundo numero quadragésimo nono, ubi negat materiam esse causam materialelem formarum materialium per veram causalitatem & influxum: item ex Arriaga Physicæ Disputatione octavā, Sectione primā, ubi dicit nullam rationem efficaciter probare materiam esse causam materialelem dicto modo: distinctionem esse in eo, quod formæ materiales, ita recipiant suum esse in materia, ut extra hanc tamquam conditionem sine qua non, nec esse, nec conservari possint naturaliter; bene autem anima rationalis. Sed

cxix. Contra 1^o, vel influxus conditionalis subiecti impedit creationem, & facit educationem; vel solus absolutus? si primum, jam anima rationalis in primo suo produci non creabitur, sed educetur; quia cum ex decreto Dei, primò non producat nisi intuitu materiæ ad ipsam dispositæ, materia habet influxum conditionalem in ipsam; hoc autem nullus Catholicorum dixerit: si secundum, jam corrumpit tota ratio ipsius, ut patet.

cxx. Contra 2^o, decernat Deus animam rationalelem non conservare aliter, quam decrevit illam primò producere, scilicet intuitu materiæ, &c. an adhuc creabitur? an educetur instar formarum materialium? hoc secundum nullus Catholicorum admisit: si primum, (quod verum esse debet, quia si unum decretorum non impedit creationem, neque alterum illi omnino simile illud impedit) jam sequitur omnes formas materiales creari; causas secundas de facto creare, aut nihil agere posse, ut consideranti patebit; quæ sunt absurda.

cxxi. Contra 3^o, sic dicere potero causas efficientes non habere etiam influxus absolutos, sed conditionales tantum, quod non admittunt; videtur enim par ratio.

cxxi. Adde fortè inter animam rationalelem, & formam materialelem, hanc esse disparitatem, quod hæc ex ratione sua intrinseca pendeat ab influxu conditionali materiæ; illa verò non nisi ex decreto Dei extrinseco, quod si tolleretur, posset extra materiam produci. Sed

Contra

CXXIII. Contra primo, nec ratio intrinseca formæ materialis, nec influxus conditionalis materiæ impedit creationem; ergo allata disparitas nulla est: Probatur antecedens, non in primis ratio intrinseca formæ materialis, quia hæc absolute creari potest, ut constabit ex dubio sequenti; neque etiam influxus materiæ, ut patet ex præmissis de anima rationali.

CXXIV. Contra secundo: creatio &eductio ut actiones Dei causæ efficientis, specie distinguuntur, non ex parte effectus, quia idem effectus potest creari &educti; ergo quia creatio est solius Dei, &eductio Dei & materiæ, aliter, quàm per modum conditionis, ut toties ostensum est.

CXXV. Contra tertio: quid aliud est, formam materialem ex ratione sua intrinseca pendere ab influxu conditionali materiæ, quàm illam non posse esse sine materia? unio autem (si distincta ab actione) inter materiam & formam potest creari, & tamen ex ratione sua intrinseca, non potest esse sine materia; & idem est de ipsa creatione materiæ, & sic de aliis.

CXXVI. Responderet aliquis secundo ex Patre Oviedo Physicæ controversiæ tertiæ puncto quarto, distinctionem esse in eo, quod formæ materiales pendant à materia tanquam causa materiali, per verum materiæ influxum positivum; unde, inquit, consequentiam hanc legitimam esse censeo, *hec entitas non dependet à causa materiali per verum influxum, ergo creatur*; & hanc distinctionem approbat P. Poncius Disputatione quarta de forma substantiali numero 27^o. quia (inquit) hic modus nihil habet difficultatis, nec melior assignari potest. In idem recidit distinctio D. Murcie 2. Physic. Disput. 3. q. 2. nempe, quod actio productiva & conservativa formæ materialis recipiatur & sustentetur in ipsa materia, non ita anima rationalis, aut ejus productio. Sed

CXXVII. Contra: vel influxus in formam materialem à materia prima materialiter egreditur, vel ab alio secundum totam entitatem suam egressus, in materia recipitur? si primum, nobilior erit causa materialis, quàm efficiens purè; quia (præterquam quod erit effectiva formarum substantialium materialium omnis generis, ut ignis, aquæ, &c., causa verò purè efficiens non nisi unius aut alterius, ut v. g. ignis A. ignis B. Petri, Ioannis, &c.) per proprios effectus seipsam perficiet, non ita efficiens purè, & ultra perfectionem suam sibi assumet cæterorum agentium perfectiones, quorum neutrum causæ purè efficienti convenit; quomodo igitur *prope nihil*? entium imperfectissima? pura potentia passiva? si secundum, ergo forma non est per verum & positivum influxum materiæ; primo, quia supponitur non influxiva; imò, si per impossibile, supponatur ipsa absente causa efficiens influere; ipsa absente, adhuc erit totus influxus, & tota forma, ut patet: quare omnino nulla est allata distinctio.

CXXVIII. Responderet aliquis tertio cum PP. nostris Complut. hic Disput. 4. q. 2. §. 3. distinctionem esse in eo, quod forma materialis fiat per transmutationem materiæ seu unionem sui ad materiam: non ita anima rationalis: sed per præviam. Tamen

CXXIX. Contra etiam est, quod, vel materia in unionem illam influat per verum influxum ab u-

nitione ista realiter distinctum, vel per indistinctum, à se egressum partialiter, vel non? quidquid dixerint, jam rejectum est. His itaque distinctionibus tanquam non sufficientibus: aut minus, quàm satis, sufficientem distinctionem explicantibus, rejectis, aliter

CXXX. Respondeo distinctionem inter modum, quo forma materialis esse recipit in materia ut subjecto sustentationis ac mutationis, ab eo, quo anima rationalis primum suum esse recipit in materia, sitam in eo, quod forma materialis sit in materia eo modo, quo generatio; anima verò rationalis eo modo, quo foret creatio, si forent entia solida, & non modalia.

CXXXI. Ratio est primo, quia sic clarè distinguitur causa materialis ab efficiente, & generatio formæ à creatione ejusdem: secundo, quia sic vitatur multiplicatio influxuum sine necessitate: modus autem, quo generatio est in materia, est talis, ut habeat totam entitatem suam ab alio, quàm materia, sed à materia ita sustentata, ut, etsi foret res solida, adhuc laberetur in nihilum, destructa solà materiâ, ad eum ferè modum, quo plumbum habens totam entitatem suam ab alio, quàm manu sustentante, laberetur in terram, seposita solà manu ipsum sustentante: modus verò, quo creatio est in materia, est omnino alius, & talis, ut si foret ens solidum, adhuc remaneret pereunte solà materiâ, non secus ac anima rationalis, quia ab ea non sustentatur, sed à causa creante sola in esse conservatur. Ex his

CXXXII. Colliges contra Patrem Poncium libro 20. Physicorum disputatione 8^a. num. 35. rectè à nobis assignari posse rationem, cur forma materialis debeat produci in subjecto, licet subjectum non debeat influere in ipsam; quia videlicet naturâ suâ talis est, ut remoto subjecto statim in nihilum labatur, in quo à forma spiritali, anima rationali v. g. differt, ut statim vidimus.

CXXXIII. Nec dicas primo, sustentationem esse influxum materiæ in formam, quem agnoscit contraria sententia.

CXXXIV. Respondeo enim quod per sustentationem hic non intelligamus actionem, aut passionem alicui actioni identificatam, sed præcisè existentiam materiæ sub forma, quæ, & habeat totam entitatem suam ab alio, quàm materia, & laberetur in nihilum destructa solà materiâ; quod fieri posse intelliges (saltem rudi modo) per exemplum plumbi allatum; & est communis sensus, quod formæ materiales pereant separatâ solâ materiâ, quod ibi declaratur.

CXXXV. Nec dicas secundo, experientiâ docere formam recipi in materia per influxum realiter à se distinctum, sicut fit per influxum realiter à se distinctum: nam (præterquam quod experientia primum non doceat, sed sola ratio sumpta ab indifferentia effectuum, non alligandorum determinatè causæ essentialiter sine necessitate) ratio dicat, non esse multiplicanda entia, sive influxus, sine necessitate & contra rationem causæ materialis, quæ propriè, ut à causa efficiente distinguitur, non influit: imò essentia causæ materialis ut condistinctæ à causa efficiente aliter intelligi non potest, quàm modo dicto, scilicet

D pure

purè sustentando formam aliunde ex integro productam, ita ut desinat desinente solà materià. Hinc

cxxxvi. Colliges educationem, non esse dependentiam formæ à materia, per influxum aliquem positivum secundum entitatem à materia procedentem; sed dependentiam à materia tanquam causà materiali, sive purè sustentante, tum formam, tum totam entitatem influxus agentis in illam: unde passio non est à materia secundum entitatem, sed est ipsa entitas actionis materiam respiciens, in qua sustentatur: hinc educationis naturam, etiam non satis explicant PP. Conimbricenses, Ioannes à sancto Thoma, Fuentes, Telles, & alii, dicendo quòd sit productio formæ cum dependentia à materia, sive subaudiatur prius tempore, sive non; sive in esse & conservari, sive in esse & primo produci tantum. His præmissis, sit

RESOLUTIO I.

cxxxvii. **D**ico 1^o. omnes formæ substantiales totales, &c. præter animam rationalem educuntur ex materia. Ita omnes Philosophi, quoad 1^{am} Partem: & Scotistæ quoad utramque.

cxxxviii. Probatur 1^a pars, quia educi ex materia nihil aliud est, quàm fieri dependenter à materia, tanquam causà materiali, seu purè sustentante, &c. sed omnes formæ substantiales totales, &c. præter animam rationalem, ita fiunt, ergo, &c.

cxix. Probatur minor 1^o. quoad sublunares non elementares cum communi Doctorum: quia successivè à causis secundis generantur; sed generatio est educio, ergo, &c. Probatur major, quia à causis secundis producuntur, & non creantur; nam creare est proprium Dei respectu creaturarum existentium aut præteritarum, ut infra probabitur, ergo generantur.

cxl. Nec dicas causas secundas non nisi materiam disponere, Deum verò ad exigentiam illarum formam creare: hoc enim est, ubi occurrunt causæ naturales, miracula fingere, ac proinde sine necessitate causas naturales actionibus sibi propriis privare, quod absurdum est.

cxli. Probatur minor 2^o. cum Scoto in 2^{um}. dist. 17. quoad sublunares elementares, Suarez Metaph. Disp. 15. sect. 3. Vasquez 1^a. p. tom. 2. Disp. 174. cap. 4. Molina, Rubio, Murcia &c. contra Conimbr. Complut. nostros, Ioannem à S. Thoma, &c. quia non est ratio de illis aliter, quàm de non elementaribus philosophandi, ergo, &c. Probatur antecedens; quia, vel illæ exigunt creati, vel non? non 1^{um}, quia alioqui ex natura sua essent independentes à materia in esse & conservari, & non nisi ex aliquo Dei Decreto extrinseco (ut de anima rationali dictum est) ab ea dependerent; ac proinde essent ex natura sua perennes, & incorruptibiles, uti anima rationalis, quod videtur fictitium: non 2^{um}, quia, si non exigant creati, miraculosè crearentur, cuius nulla est necessitas, ergo, &c.

cxlii. Nec dicas cum Conimbricensibus, Complutensibus nostris, Ioanne à S. Thoma, &c. esse necessitatem, eò quòd materia non prius tempore existat, quàm formæ illæ. Quia, licet id requiratur ad generationem secundum mentem Aristotelis, & strictè sumptam, ut Disput. 1^a. de

principiis dictum est, non requiritur tamen ad productionem non creativam præcisè, sive generationem latè sumptam; nam hæc solùm dicit productionem in materia purè sustentante, sive prius tempore, aut naturà, fuerit sub privatione formæ, sive non: unde rectè confundes educationem cum productione non creativa, sive generatione latè sumpta; non verò cum generatione strictè, ad quam requirunt Thomistæ post Aristotelem, materiam prius tempore extitisse, quod, cum aliunde sublit omnino rigorosa differentia generationis à creatione, omnino frustra fit.

cxliii. Probatur minor 3^o. quoad substantiales coelestes, cum Molina, Vasquez, Rubio, Murcia, &c. post universam ferè Scoti Scholam, contra Thomistas communissimè, uti de elementaribus probata est.

cxliv. Nec dicas 1^o. cum Conimbr. Complutensibus nostris, Suarez, Fonscæ, &c. hæc esse cum materia eadem indivisibili actione concreatæ: quia (præterquam quòd dicendum esset illam eandem indivisibilem actionem simul esse creationem materiæ, & generationem formæ, ac idem concludendum de terra forma elementari, juxta illud Scripturæ *In principio creavit Deus Cælum & terram*. ubi tamen agitur de creatione latè sumpta pro productione, quo sensu infra dicitur, *masculum & feminam creavit eis*) illa productio non debet esse indivisibilis, cum naturaliter terminetur ad effectus specie diversos, materiam scilicet & formam: si verò formæ Cælorum sint à materia sua inseparabiles, & ideo incorruptibiles, non fit, quia sunt eadem indivisibili actione cum materia concreatæ, sed fortè, quia non habent dispositiones suis contrarias.

cxlv. Nec dicas secundo educationem formæ præsupponere dispositiones suas prius in materiam introductas: quia id tantum requiritur, ubi forma contraria expellenda, in materia præsupponitur; nam materia secundum se semper est satis præparata & disposita ad formam, non secus ac ad dispositiones ipsas, recipiendum.

RESOLUTIO II.

cxlvi. **D**ico secundo: formæ materiales substantiales, & idem est de accidentalibus; non sic in materia præexistere, ut per generationem, vel educationem de novo, etsi partialiter tantum, non producantur; sed solùm appareant, & educantur, uti equus è stabulo, prout voluere nonnulli antiqui Philosophi, quos videtur sequi noster Bacho, Quodlib. 1^o. q. 6. art. 2^o. & in 2^{um}. dist. 18. art. 2^o. verum ipsum aliud, quàm nos, velle non puto; quia 9^o. 5^o. ad 1^{um}. docet formas terminare generationem secundum modum essendi sive existendi, sic nempe, ut ante, in materia non fuerint, nisi secundum aliquod esse potentiale, sive sumibile à materia.

Probatur primo: quia id non stat cum imperfectione materiæ.

cxlvii. 2^o. Quia sic nulla daretur generatio substantialis, aut accidentalis: nam, si in illa præexistèrent formæ substantiales, præexistèrent & accidentales, idque ante omnem generationem in materia

materia per creationem materiae, quod absurdum est.

CLVIII. 3^o. vel illud, ratione cuius de novo apparent, ita praexistit in materia, vel non? si sic, quomodo potius uno tempore facit eas apparere, quam alio: si non, idem dic de aliis.

CLIX. 4^o. Absurdè sequeretur in aëre esse lucem absente sole; in carbone calorem absente igne; in igne, summum frigus; in aqua, summum calorem; in lacte, summam nigredinem, &c. quia materiam continent, quæ omnes formas haberet.

CL. Nec refert, quod dicatur habere omnes latentes; quia debent tandem apparere per formam non latentem, alioqui nunquam apparerent, ut patet: unde vel hæc forma latuit in materia, vel non? si sic; ergo debet apparere per aliam, quæ latuit in materia, & hæc per aliam, & sic in infinitum: si non, idem dic de omnibus omnino formis materialibus, non enim habent esse ante educationem magis quam illa: hinc formæ melius dicentur induci in materiam, quam educi; quia tamen Philosophi communiter ita loquuntur, dic hoc sensu educi, quod sint ex materia, tanquam ex causa materiali.

CLI. Obijcies 1^o. ex Aristotele 7^o. Metaph. textu 29. in materia praexistit pars rei faciendæ, sed forma sit; ergo ejus pars in materia praexistit.

CLII. Respondeo per rem faciendam intelligendum corpus naturale completum, five compositum, quod sicut absolute & principaliter à natura intenditur, & forma non nisi secundum quid, & propter compositum; ita absolute & principaliter fieri dicitur, & forma non nisi secundum quid, &c. propter compositum: unde dic locutionem esse intransitivam, ut sit sensus, materia praexistit pars rei faciendæ: vel dic Aristotelem ibi agere de materia secunda, & per rem faciendam intelligere artefactum aliquod, cujus aliquod accidens essentialia semper praexistit in materia secunda, ex qua fit: cum verò Augustinus 3^o. de Trinitate cap. 7^o. ait, *omnium que nascuntur, occulta quadam semina in mundi elementis latere*, vult tantum dispositiones ad omnia quæ nascuntur, in mundi elementis latere efficienter; nam ad omnia quæ nascuntur, disponunt calor, frigus, &c. quæ elementa producant.

CLIII. Obijcies 2^o. si formæ non praexistissent in materia, fierent ex nihilo, ac proinde crearentur, quod supra improbatum est, ergo, &c.

CLIV. Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte, fierent ex nihilo sui & subjecti tanquam partis se componentis, concedo antecedens; ex nihilo subjecti tanquam causæ materialis, & sustentationis, nego antecedens; sic autem sufficienter distinguitureductio à creatione, ut supra vidimus: creari enim est fieri ex nihilo sui & subjecti tanquam causæ materialis; educi verò & generari, est fieri ex nihilo quidem sui, sed ex aliquo subjecti tanquam causæ materialis.

Obijcies 3^o. ex Magistro nostro Bachone Quodlib. lib. 1^o. q. 6. art. 2^o. *quando formæ noviter educuntur in actum, non acquiritur nova realitas formæ: sed educitur de potentia in actum illud, quod 1^o. fuit ibi in potentia, ergo, &c.*

Respondeo velle aliud ens ex materia non educi, quam fuerit possibile ex ea educi five in potentia ens participium ut loquitur art. 3^o.

D V B I V M V.

An forma non modalis, quæ connaturaliter educitur ex materia, divinitus creari possit; & quæ connaturaliter creatur, ut anima rationalis, divinitus educi possit ex materia: & an simul eadem indivisibili actione educi, & creari possit.

R E S O L U T I O I.

CLV. Dico 1^o. forma, quæ connaturaliter educitur ex materia, divinitus creari potest.

CLVI. Probatur: quia species Eucharistica quæ connaturaliter educuntur ex materia ante consecrationem, post consecrationem creantur, ergo, &c.

CLVII. Confirmatur, non sunt effectus alligandi determinatus causis essentialiter sine necessitate; sed nulla est necessitas, ita alligandi formas non modales causis creatis, ut Deus se solo illas creare non possit; vel ita, ut non sint indifferentes ad educi vel creari, præsertim cum hoc minuat dominium Dei in creaturas, & dependentiam creaturarum à Deo, ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

CLVIII. Dico 2^o. forma, quæ connaturaliter creatur, ut anima rationalis, divinitus educi potest ex materia: est contra Suarezem, Molinam, Hurtadum, Amicum, Perieram, Oviedum, Telles, &c. Ita tamen nonnulli Recentiores, quos tacito nomine citat P. Telles de Anima Disp. ult. sect. 1^a.

CLIX. Probatur, quia nulla est repugnantia: nihil verò divinæ virtuti negandum, quod non repugnat, ergo, &c. Probatur major. quia si aliqua esset, esset, vel ex parte causæ efficientis; vel ex parte influxus; vel ex parte effectus, five formæ connaturaliter creatæ; vel ex parte causæ materialis five materiae; quia aliud non suppetit ex parte cuius sit: sed ex parte illorum nulla est, ergo, &c. Probatur minor: non ex parte causæ efficientis; quia sicut Deus effectum connaturalitereductum creare potest, ita & connaturaliter creatum educere: non etiam ex parte influxus; quia sicut influxus creativus potest terminari ad formam connaturalitereductam, itaeductivus ad formam connaturaliter creatam; non etiam ex parte effectus, quia sicut effectus connaturalitereductus creari potest, ita connaturaliter creatus educi: non denique ex parte materiae, quia illa est capax causandi materialiter omnes formas, quarum causativos influxus sustentare potest; sed posset talis formæ influxum, utpoteeductivum & generativum, sustentare, ergo, &c.

CLX. Confirmatur, majoris virtutis est ex parte causæ efficientis, & majoris defectibilitatis ex parte effectus, formam connaturaliter creatam annihilare, quam educere; sed talem formam potest Deus annihilare, ergo & educere. Ex his

CLXI. Patet ad P. Oviedum Physicæ contrav. 13. puncto 6^o. aientem, non esse positivum fundamen-

damentum animæ rationali concedendi capacitatem educationis, & materiæ receptionis illius; si enim loquatur de capacitate educationis connaturalis; fateor; si de capacitate educationis supernaturalis; oppono statim allata fundamenta.

CLXII. Obijcies 1^o. ex P. Telles: id quod est, per se, & essentialiter immortale, nec divinitus potest fieri mortale; sed anima rationalis est per se & essentialiter immortalis, ac independens à materia; ergo nec divinitus fieri potest mortalis, seu dependens à materia; & consequenter nec divinitus educi potest; nam id quod educitur dependet in fieri, & conservari à materia: major demonstrationis certissima est; nam id quod per se est tale, nec divinitus potest non esse tale, Deus enim mutare non potest essentiam rei, quia id implicat contradictionem: minor expressè traditur à Concilio Lateranensi, habito sub Leone decimo, sess. 8^a. ita verbotenus ille: verum in illo argumento multa displicent. Quare

CLXIII. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in animam equi, quæ retorsio contra præfatum authorem, plus, quam illud argumentum, quod immerito jactat, fortis est instar equi Trojani: id quod est per se & essentialiter mortale, nec divinitus potest fieri immortale; sed anima equi talis est, (nam non aliter anima, rationalis est immortalis, & independens à materia, quam anima equi mortalis & dependens, scilicet ex exigentia suæ naturæ; unde sicut anima rationalis à præfato authore dicitur per se, & essentialiter immortalis (licet falsò, sensu quo intelligit, ut statim patebit,) ita ab eodem hæc debet dici per se & essentialiter mortalis.) ergo, &c. Negat majorem præfatus author, & merito; quomodo igitur nobis objicit, quod id, quod est per se & essentialiter immortale, nec divinitus possit fieri mortale?

CLXIV. Resp. 2^o. negando minorem, ad ejus probationem, salvâ Reverentiâ, fallitur P. Telles dicendo minorem expressè tradi à Concilio Lateranensi, sensu ab ipso dato; nam in eo solum damnantur velut hæretici, Pomponatius, & nonnulli alii Philosophi, docentes animam rationalem esse naturâ suâ mortalem, sive posse naturaliter emori, sicut anima equi; quod non est tradere animam rationalem sic esse per se & essentialiter strictè immortalem, ut nequidem divinitus esse possit mortalis, eo sensu quo anima equi divinitus esse potest, vel ipso fatente, immortalis: sed latè, sive sic, ut sicut anima equi naturaliter esse non potest immortalis; ita anima rationalis non possit naturaliter esse mortalis, quæ toto Cælo distinguuntur; nec aliud intendit Concilium per *ly naturâ suâ*: deinde si immortalitas sit de essentia animæ, erit & immors; quomodo igitur divinitus potest poni mors, sive destructio animæ? quam poni posse divinitus, non nisi temere negaret P. Telles.

CLXV. Instabis ex eodem: substantia non potest divinitus inherere, quia est per se essentialiter existens; ergo etiam anima rationalis non potest divinitus educi, quia est per se essentialiter, id est, per suam essentiam independens à subiecto.

CLXVI. Respondeo 1^o. negando antecedens, & consequentiam: malè enim ibi confundit P. Telles *ly per essentiam*, cum *ly per naturam*, sicut & *ly essen-*

tialiter, cum *ly naturaliter*; siquidem formæ solidæ materiales naturaliter pendunt à subiecto, non tamen essentialiter; sed solæ modales, ut propemodum omnes Philosophi loquuntur.

CLXVII. Respondeo 2^o. distinguendo antecedens: si *ly inherere* sumatur in antecedente, eo modo, quo *ly educi* sumi debet; si videlicet *ly inherere* ita sumatur, ut sit commune entibus connaturaliter inhæribilibus, & non connaturaliter inhæribilibus, sicut *ly educi* ita sumitur, ut sit commune entibus connaturaliter educibilibus, & non connaturaliter educibilibus; nego ant. quia ut sic *inherere* rectè confunditur cum hoc modo *educi*; & sicut anima rationalis & accidens possunt sic educi, ita & inherere: si *ly inherere* sumeretur strictè, ut est commune solis entibus connaturaliter inhæribilibus, v.g. formis accidentalibus, concedo ant. sed neque etiam *educi* conveniret animæ rationali, si sumeretur strictè, ut est commune solis entibus connaturaliter educibilibus; verum quia hæc restrictio non daret dubio aut divinæ virtuti locum, nec fundata est; non debent *ly inherere* aut *educi* sub hac restrictione sumi, sed priori modo.

CLXVIII. Vrgebis & dices, te contendere, neque inherere, neque educi posse ita latè sumi, & communiter strictè sumi, ergo, &c.

CLXIX. Respondeo negando consequentiam; id quidem contendis; sed non probas; & ego contrarium probo: sicut enim *per se existens*, attendendo ad omnem potentiam, etiam divinam, quomodo procedit dubium, potest ita sumi, ut sit commune entibus connaturaliter per se existentibus, & entibus non connaturaliter per se existentibus, v.g. formis accidentalibus; ita & *inherere* allato modo sumi potest: deinde sicut *creari* potest ita sumi, ut sit commune entibus connaturaliter creabilibus, & entibus non connaturaliter creabilibus, v.g. formis materialibus; ita & *educi* allato modo sumi potest. Hinc contra eundem supra citatum P. Telles

CLXX. Dic, nec substantiam esse per se immediate actu existentem per se, sed per actionem condistinctam ab inhæensione connaturali formarum accidentalium; nec animam rationalem esse per se immediate actu creatam, sed per actionem condistinctam ab educatione connaturali formarum materialium, quarum, illam naturaliter, hanc vero supernaturaliter terminare potest: neque per hoc mutantur essentialiter, ut dictum est; quia neque de essentia substantiæ est non inherere præcisè, sed connaturaliter non inherere; neque de essentia animæ rationalis non educi, sed connaturaliter non educi, ut ex formis accidentalibus à pari constat de non existere per se, & in materialibus, de non creari; illæ enim divinitus ac supernaturaliter existunt per se; hæc verò divinitus ac supernaturaliter creantur.

CLXXI. Obijcies 2^o. ex P. Hurtado Phys. Disp. 32. sect. 6. actio supplens defectum naturalis actionis, debet in modo attingendi esse nobilior eâ, quam supplet; sed educio, utpote pendens à subiecto, est ignobilior creatione, ergo, &c.

CLXXII. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in actiones causarum secundarum, quæ suppleant defectum actionis divinæ ut totalis; non sunt tamen in modo attingendi nobiliores hæc, ut patet, sed ignobiliores saltem ex parte principii

principii : deinde calor supplet defectum actionis ignis in ignem, vel saltem calorem; ipsius tamen actio non est nobilior actione ignis, ut etiam patet.

CLXXIII. Respondeo 2^o. in forma, negando maiorem; quia gratis & sine probatione ponitur ab Hurtado, actionem suppletem defectum naturalis actionis debere in modo attingendi esse nobiliorem eâ, quam supplet, nisi forte velit esse nobiliorem hoc ipso, quod supernaturalis, ex quo nihil contra nos.

CLXXIV. Obijcies 3^o. nulla est proportio inter educationem actionem materialem, & effectum spiritualem ex natura sua à materia non pendente, ergo, &c.

CLXXV. Respondeo distinguendo assumptum: nulla est proportio attentâ virtute naturali & causâ secundâ, concedo assumptum; attentâ virtute supernaturali & causâ primâ, nego assumptum; si enim hæc attentâ sit sufficiens proportio inter creationem actionem ex natura sua à materia non pendente, & effectum materialem ex natura sua à materia pendente; erit & inter educationem, &c. ex his liquet P. Telles aientem, isti sententiæ (scilicet nostræ) nescio, quâ mercede conducti, juniores aliqui Philosophi iudicio male pertinaci adhaerunt, iudicio male pertinaci malum esse Censorem; præsertim cum D. Thomas, quem pro se citat ex 1^o. p. q. 75. art. 6^o. in corpore, ubi dicit, impossibile est ergo quod anima intellectiva sit corruptibilis; loquatur de potentia ordinaria & naturali; quia ut profundè notat, è profundissimis Thomistis unus, R. P. Ioannes à S. Thoma Phyl. q. 10. art. 5^o. raro D. Thomas huiusmodi quæstiones de potentia Dei absoluta disputat. & loca (è quibus ad propositum ipsius hic unus isti similis est, impossibile est in uno & eodem esse plures formas substantiales) quæ circa hoc adferuntur, procedunt secundum ordinem naturæ.

RESOLUTIO III.

CLXXVI. Dico 3^o. tam formæ connaturaliter creatæ, quam materialiter educatæ, possunt divinitus simul eadem indivisibili actione creari & educi.

CLXXVII. Probatur, quia creatio & educatio possunt in eandem indivisibilem entitatem coalescere, ergo, &c. Probatur antecedens; quia eodem modo se habent creatio & educatio ad diversas formas, sive terminos in subjecto existentes, vel non existentes; sicut se habent scientia & opinio ad diversa media; sed hæc, imò & assensus ac dissensus, possunt in eundem indivisibilem actum coalescere, ut constat ex dictis in Logica Tract. 9^o. Disp. 3^a. ergo & creatio ac educatio diversarum formarum alioqui successivè creaturarum & educatarum.

CLXXVIII. Confirmatur 1^o. nihil denegandum divinæ virtuti sine aperta repugnantia; sed hic nulla est, ergo, &c. Probatur minor, quia creatio & educatio sunt actiones positivæ, non habentes annexa, nisi independentiam positivam, & dependentiam positivam, inter quas nulla contradictio, magis quam inter certitudinem scientiæ, & incertitudinem opinionis, ergo, &c.

CLXXIX. Confirmatur 2^o. ex hac cõclusionem solùm sequitur independentia positiva & dependentia positiva indivisibilis formarum diversarum à subjecto;

sed hæc positivæ entitates non magis repugnant divinitus, quam idè indivisibilis effectus pendens per educationem & creationem à causâ creante & educante, quod fieri posse supra monstratum est: deinde hæc non magis repugnant divinitus, quam independentia, & dependentia ejusdem effectus ab alterutro agentium totalium actione unâ indivisibili virtualiter duplici totali, quæ nullo modo repugnant, ut probabitur infra, ergo, &c. Probatur minor, quia optimè intelligo calorem ita pendere ab igne A, ut sit in existere absolute independentens ab igne B. à quo etiam producit per actionem totalem, & è contra, ergo, &c.

CLXXX. Obijcies, eadem actio non potest esse simul in subjecto, & non esse; sed educatio est in subjecto sustentationis, & creatio non est in subjecto sustentationis; ergo educatio & creatio non possunt in unam indivisibilem actionem coalescere.

CLXXXI. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in formam: eadem forma non potest esse simul in subjecto, & non esse; sed hoc fieret si simul educeretur & crearetur; ergo non potest simul educi & creari: consequentia est aperte falsa, nam quis non videt Deum posse hîc formam ignis ex materia educere, & simul Romæ per creationem sine subjecto conservare?

CLXXXII. Respondeo 2^o. in forma, negando minorem: quare enim illa actio, quæ connaturaliter esset educatio & creatio, non posset in uno loco esse in subjecto sustentationis, utpote educatio, & in alio replicata in eo non esse, sed in solo subjecto adhesionis, utpote creatio simul & educatio?

CLXXXIII. Nec obstat quod sit modus; quia, præterquam quod id negabimus infra, manet utroque in subjecto modus, sed ut educatio, erit ad unum subjectum educationis essentialiter determinata; ut creatio, ad aliud adhesionis etiam erit essentialiter determinata; quod difficilius non intelligitur, quàm quod unio respectu unius subjecti sit modus, respectu alterius sit res: hæc enim actio esset virtualiter educatio & creatio, sicut illa unio est virtualiter modus, & res, respectu diversorum subjectorum: Attende tamen quod modus ille actionis non posset existere, quin saltem unum subjectum afficeret, utpote unius saltem subjecti secundum eandem indivisibilem entitatem modus.

DUBIUM VI.

An in corpore naturali detur forma corporeitatis præter specificam & ultimam.

RESOLUTIO.

CLXXXIV. Dico cum cõmuni Thomistarum & PPP. Societatis, non datur in viventibus forma corporeitatis præter formam specificam & ultimam: est contra Scotum, in 4. Dist. 11. q. 3. cum suis, nominatim Fabro Theoremate 37. Cavello hîc Disp. 1^a. sect. 4^a. Mastrio Disp. 2^a. q. 4. art. 2. Poncio de Anima Disp. 7. q. 3^a. quos sequuntur Zaravella, Murcia, Landinus, Caramuel, Coninck de Sacramentis q. 76. art. 2^o. Camerarius 2. p. q. 27.

D 3

Probatur

CLXXXVI. Probatur, quia illa forma est omnino superflua; nec illius sufficiens est indicium, ut solutione argumentorum patebit: atqui entia non sunt multiplicanda frustra, & sine sufficienti indicio, ergo, &c.

CLXXXVII. Probatur major pro prima parte, quia si superflua non esset; vel requireretur ut faceret formaliter corpus completum de prædicamento substantiæ? & hoc non; quia illud solum dicit materiam & formam specificam unita; vel ut faceret formaliter corpus incompletum, prout est altera pars viventis? & hoc etiam non, quia illud solum dicit materiam & certam accidentium organizantium seriem, aut formarum partialium aggregatum, ante & post separationem formæ remanens; vel denique ut faceret corpus cadavericum? & neque hoc, quia corpus per solam privationem formæ est sufficienter cadaver, ut patet ex communi sensu; nullus enim formam cadaveris percipit, statim tamen à separatione formæ, corpus ab omnibus vocatur cadaver propter solam subtractionem formæ, cuius operationes amplius non percipiuntur, ergo, &c.

CLXXXVIII. Respondebis cum P. Poncio Disp. 7^a. de Anima, negando formam corporeitatis esse superfluum, & pro ejus veritate & utilitate adferes 1^o. quod sit principium exigens omnia accidentia diversæ rationis, quæ in organis animalium reperiuntur: 2^o. quod constituat corpus, prout est altera pars viventis. Sed

CLXXXIX. Contra primum est, quod forma illa corporeitatis non sit coæva materiæ, quia docet illam in ligno, igne, &c. non reperiri; sed præsupponit materiam ad sui receptionem per accidentia seminis præviè dispositam; dispositionem autem ad illam dicimus esse radicem exigentem omnia accidentia diversæ rationis, quæ dicit P. Poncius à forma corporeitatis exigere; sic enim vitamus formam istius corporeitatis sine necessitate multiplicationis; quia, sicut ipse dicit semen dispositum terminari ad formam illam corporeitatis, dicimus nos illud immediate terminari ad accidentia, ad quæ vult formam illam corporeitatis immediate terminari.

CLXXXX. Contra secundum etiam est, quod id sufficienter habeatur per unionem ad animam viventis; sicut, quod albedo sit forma viventis, sufficienter habetur per hoc, quod uniatur corpori viventis, vel potius, sicut quod corporeitas sit talis forma corporis viventis sufficit in P. Poncii sententia, quod uniatur materiæ viventis.

CLXXXXI. Confirmatur Resolutio: si materia constitueretur formaliter corpus ut sic, per formam substantialem corporeitatis, deberet etiam forma ut sic, per formam formeitatis constitui; item & materia & forma unitæ formaliter, deberent constitui compositum ut sic, per formam compositæ ut sic, quæ omnino sunt Chymarica, & superflua; ergo & forma corporeitatis, &c.

CLXXXXII. Respondebis ex eodem P. Poncio, esse disparitatem, eò quod forma corporeitatis secundum omnes, saltem accidentaliter à materia distinguatur, non verò forma formeitatis à forma. Sed

CLXXXXIII. Contra, quod jam contendimus est, formam corporeitatis radicalem, quæ sit exigentia formarum accidentalium corporis organici, frustra distinguatur à forma seminis; formam verò cor-

poreitatis actualem frustra distinguatur à formis accidentalibus aut etiam partialibus substantialibus, (si dentur) materiæ ipsius viventis, patet; si enim præter se adsint, corpus dicitur organicum; si verò præter se absint, dicitur inorganicum. Hinc

CLXXXXIV. Objicies 1^o. Anima definitur actus corporis organici; ergo ad animam præsupponitur corpus organicum; ac proinde forma corporeitatis.

CLXXXXV. Respondeo negando consequentiam, quia illa locutio est intransitiva, & sensus est, anima est actus corporis quod vitaliter est organicum per animam; vel si mavis, dic esse præsuppositivè organicum per certam accidentium organizantium seriem, vel formarum partialium aggregatum.

CLXXXXVI. Objicies 2^o. quod est argumentum præcipuum Scottistarum: quando per violentiam, & subitanam mortem recedit anima à corpore animalis, non statim introducit alia forma; ergo remanet ibi forma corporeitatis.

CLXXXXVII. Respondeo negando consequentiam, quia tunc materia existit naturaliter sine omni forma totali substantiali, ut dictum est supra: & reverà, si possit secundum ipsos existere cum sola forma corporeitatis, poterit se solâ; quia cum hæc sit incompleta materialis, & sicut materia prima, ordinetur ad unam totalem, materia cum illa erit adhuc incompleta, & ordinata ad unam totalem, quam per se & principaliter exigit.

CLXXXXVIII. Objicies 3^o. ex P. Poncio loco supra citato: si in triduo mortis Christi aliquis Apostolorum consecrasset, posuisset sub speciebus panis Corpus Christi; non secundum solam materiam, alioqui in ligno, igne, & ubicumque esset materia prima, esset Corpus Christi, ac consequenter hæc forma consecrationis, hæc est materia mea, æquivaleret huic, hoc est Corpus meum, quod est falsum secundum omnes; neque etiam secundum materiam cum solis accidentibus disponentibus ad formam ossis, nervi, &c. 1^o. quia si hæc accidentalis esset, conversio Eucharistica non esset transsubstantiatio, sed conversio substantiæ in accidentia: 2^o. quia alioqui accidentia essent de substantia Christi, eodem modo quo corpus; quæ sunt absurda; ergo ut in formatum forma substantiali corporeitatis.

CLXXXXIX. Respondeo negando antecedens pro secunda parte, ad ejus primam probationem Respondeo adhuc conversionem Eucharisticam rectissime dici transsubstantiationem à potiori parte, conversione scilicet materiæ in materiam, licet concomitetur quædam conversio accidentium in accidentia: ad secundam autem Respondeo accidentia illa esse, vel non esse, de substantia Christi, prout Corpus Christi adæquatè, vel inadæquatè sumptum, est de substantia Christi; si enim velit, Corpus inadæquatè sumptum pro ea tantum parte, quæ materia est & substantia, esse de essentia, sive substantia Christi, accidentia non sunt de essentia Christi; si verò velit corpus adæquatè sumptum pro materia & eo, quod in esse corporis formaliter constituitur, esse de essentia Christi, dici debet accidentia esse de essentia Christi: primum tamen malum dicere: quia accidentia non sunt de essentia, nisi quoad nos, prout quoad nos tantum individua per accidentia inter se numero distinguuntur, ut videmus in Porphyrio, dum de Individuo ageremus.

D V B I V M VII.

an potentia, per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguitur realiter à forma.

RESOLUTIO.

cc. Dico contra auctores citatos Disput. præcedenti Dub. 7.º. potentia per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguitur realiter à forma.

cc. i. Probatur potentia, sive instrumentum, causas efficientis & materialis, ab illis realiter distinguitur; ergo & potentia, sive instrumentum causæ formalis, seu formæ; consequentia tenet à pari.

cc. ii. Obijciunt, vel illud instrumentum & potentia formæ, esset formæ connaturalis, vel non? si primum; ergo debet à forma emanare, & in forma recipi, quod est contra dicta Disputat. præcedenti Dub. 7.º. videlicet, quod identificentur potentia instrumentali materiæ, quæ à materiæ emanat, & in ea recipitur: si secundum; ergo non bene argumentamur à causa materiali ad formalem, quia illius potentia est illi connaturalis, non huic, ergo, &c.

cc. iii. Respondeo 1.º. retorquendo argumen-

tum in causalitatem formæ: vel causalitas formæ, scilicet unio, est formæ connaturalis, vel non? si primum; ergo debet ex forma educi, & in forma recipi, quod est contra dicenda, videlicet, quod identificentur causalitati materiæ, quæ ex sola materia educitur, & in ea sola sustentativè recipitur: si secundum; ergo non bene argumentamur à causa materiali ad formalem, videlicet, quod hæc debeat habere causalitatem in compositum, sicut illa.

cc. iv. Respondeo 2.º. illam potentiam esse connaturalem materiæ primæ, ac proinde illius proprietatem; sicut instrumentum & potentia, quæ fit effectus, est connaturalis causæ efficienti & illius proprietat; hujus ratio est, quia alioqui, ubi una sufficit potentia universalis, sicut causa est universalis, oporteret tot potentias multiplicare, quot multiplicantur formæ & effectus, sine ulla necessitate; quia sicut optimè intelligitur eandem indivisibilem entitatem actionis, receptam in materia, esse causalitatem ut quo materiæ passivam, & formæ activam, sive in facere & in fieri, & unionem in componere; ita optimè intelligitur potest, eandem potentiam receptam in materia, esse potentiam materiæ & formæ in recipere & recipi.

Pro aliarum objectionum solutione, vide dicta dubio citato.

DISPUTATIO QVARTA.

De Subsistentia.

D V B I V M I.

Qua sit ratio formalis Subsistentiæ, sive (quod idem est) quis est Eius formalis Subsistentia.

1. **A**nte Resolutionem
Suppono Subsistentiam, à qua subsistens; supposititalitatem, à qua suppositum, se habere ad personalitatem, à qua persona, ut magis ad minus commune: subsistentia enim & supposititas indifferenter afficiunt naturam, sive animatam, sive inanimatam; rationalem, sive irrationalem; personalitas verò solum naturam rationalem, sive intellectualem: unde Boëtius libro de duabus naturis, personam definit, *rationale nature individuum substantiam* (puta completæ per subsistentiam;) hypostasin verò, quo nomine variuntur, & à qua unio hypostatica dicitur, confundit cum persona. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

ii. Dico 1.º. effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam formaliter existentem. est contra Cajetanum 3.º. p. q. 4. art. 2.º. quem plures Thomistæ sequuntur; rectè tamen ostendit P. Ioannes à S. Thoma Phys. q. 7. art. 4. D. Thomam non sumere pro eodem existentiam & subsistentiam.

iii. Probatur 1.º. quia subsistentia distinguitur realiter à natura, ut probabitur dubio sequenti; non verò existentia, ut supra Disp. 2.ª. insinuatum est, ergo, &c.

iv. Probatur 2.º. quia alioqui sequeretur, humanitatem Christi extitisse ab æterno; quia existe-

ret per subsistentiam Verbi, quæ, si sit existentia, est formalis existentia æterna, ac per consequens daretur existeret ab æterno; quia posita causa formali in subiecto, impossibile est effectum formalem non sequi, ergo, &c.

v. Confirmatur, quia, vel subsistentia est duæ negationes, actualis & aptitudinalis dependentiæ ab alio, tanquam supposito, ut Scotistæ; vel positiva entitas ultimò complens naturam in esse, ut alii omnes communiter docent: sed hæc præsupponit naturæ existentiam, quia alioqui reciperetur in nihilo (quod supra Disp. 2.ª. Dub. 4.º. fusè impugnatum est) ut patet; & illæ negationes non possunt esse existentia naturæ; quia hæc debet esse positiva, ut fatentur omnes, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

vi. Dico 2.º. effectus formalis subsistentiæ, non est constituere naturam potentem proximè operari, quasi virtus operativa naturæ non sit in actu primo proximè potens operari, sine subsistentia.

vii. Probatur, Accidentia in Eucharistia sunt proximè operativa, & operantur sine subiecto & subsistentia; ergo à fortiori natura, si subsistentiâ privetur; ergo effectus formalis subsistentiæ non est, &c.

viii. Confirmatur, ignis in operari non aliter pendet à subsistentia, & fortè minus (si nempe subsistentia dicatur terminus naturæ) quàm ab approximatione passivi; unde, vel approximationi tribuendus idem effectus formalis ac subsistentiæ, quod foret absurdum; vel dicendum illum non esse effectum formalem subsistentiæ, magis quàm approximationis, ergo, &c.